LINGUA LATINA

W. H. D. ROUSE

M. H. ARCHEW

SECUNDUS ANNUS

C. L. MAIRWARING

W. L. PAINE

Lat

OXONII

TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO

LINGUA LATĪNA

The Direct Method

UNDER THE GENERAL EDITORSHIP OF W. H. D. ROUSE

PR… WARING.
1912.
The …consists of
fifty-… grammar
cover… erbs, com-
paris… …ative and
impe…

SE… .. MAIN-
WARI…
Deals… passages,
exerc…

DE… WARING,
and …
Ten … …st year of
learn… …e, Ludus,
Medi… …ia Capta,
Thes…

P. O… TRANGE-
WAYS…
'Eac… …by a short
intro… …cult lines,
also i… …s are well
chose…

RĒ… E. 1915.
Pp. 8…
'Con… in syntax
but s… …urked, and
vocab… under the
Direc…

PU… S. JONES.
1913
'Is it… …ccount of
himse… daily life.
Passa… …cleverly
broug… …nteresting
narra… …e illustra-
tions.

PR… . 1913.
Pp. …

PHILLIP. ACAD. ANDOV. SIGIL. MDCCLXVIII IN SORGINE PENDET

Library

of

Phillips Academy

Accession No. 13059

Shelf No. Lat 478 M28

Intended primarily as a master's companion to Prīmus Annus; with some discussion of the general principles of teaching by the Direct Method.

VILLA CORNĒLIĀNA, a coloured Wall Picture designed by E. M. CARTER to illustrate Life on a Roman Estate (4 feet 7 inches × 3 feet 3 inches). On canvas paper with roller for hanging. 10s. 6d. net.

ROMA
PASSUS ROMANI
0 400 800
CAMPUS MARTIUS
JANICULUM
MONS QUIRINALIS
Agger Servii Tulli
Porta Collina
Capitolium
Forum
Via Sacra
MONS PALATINUS
CIRCUS MAXIMUS
MONS AVENTINUS
Pons Sublicius
TIBERIS F.
Ad Clusium
Cremera F.
Veii
Saxa Rubra
ETRUSCI
Tibur
Anio F.
AEQUI
ROMA
Gabii
Tusculum
MARE INFERUM
Tiberis F.
Ostia
L. Albanus
Alba Longa
LATINI
Corioli
Ardea
VOLSCI
Antium
VICINI POPULI
MILIA ROMANA
5 10 15 20
MILIA ANGLICA
5 10 15 20

LINGUA LATĪNA

SECUNDUS ANNUS

BY

C. L. MAINWARING

AND

W. L. PAINE

OXFORD
AT THE CLARENDON PRESS
LONDON EDINBURGH GLASGOW NEW YORK
TORONTO MELBOURNE CAPE TOWN BOMBAY
HUMPHREY MILFORD
1919

PRINTED IN ENGLAND
AT THE OXFORD UNIVERSITY PRESS

PREFACE

The original scheme of this book was drawn up under Mr. Andrew's guidance and agreed upon by Mr. Paine and myself in the early part of 1914. Mr. Paine had drafted most of the early lessons before War broke out. On his departure for Gallipoli, and subsequent death in June 1915, I decided to finish the book in accordance with our original scheme, altering what had already been done only so far as was necessary to simplify and make it consistent with the whole.

Our thanks are due to Dr. E. Purdie, of the Cheltenham Ladies' College, for much helpful criticism and advice on points of Latinity.

C. L. M.

Whitgift School, Croydon, 1917.

TABULA RĒRUM

QUAE IN HŌC LIBRŌ CONTINENTUR

	pp.
Lēctiōnes	5–39
Exercitātiōnēs Grammaticae	40–61
Accidentia : Genera Nōminum	62
Verba : Cōnspectus Temporum .	64
Modus Subiūnctīvus .	66
Partēs Prīncipālēs .	69
Numerālia	74
Adiectīva	75
Syntaxis : Cāsūs Nōminum	76
Prōnōmina	77
Verbum et Verbālia . . .	78
Clausulae Nōminālēs :	
Praedicātiō Oblīqua	79
Interrogātiō Oblīqua	80
Petītiō Oblīqua, etc.	81
Clausulae Adverbiālēs . . .	82
Ablātīvus Absolūtus . . .	83
Quīn	84
Index Vocābulōrum	85
Cartae	*ad fīnem*

INTRODUCTION

The aim of the First Year was to give a large vocabulary and ease in manipulating simple sentences and clauses not involving the use of the Subjunctive Mood. This was comparatively easy. Practically all the Accidence and Syntax supplied a need definitely felt by the learner for the purpose of saying or writing anything at all. It so happened that it also supplied him with the means of saying or writing somehow or other everything he wanted. For instance, it furnished him with one way of expressing purpose; but, having got one method, he feels no crying need for any other. He can express practically all other logical connections by means of compound sentences. He can say 'Caesar Gallōs cēpit et Rōmam dūxit' for 'Caesar captōs Gallōs Rōmam dūxit; he can say 'Dormītō; fessus enim sum' or 'Fessus sum; dormītō igitur' for 'Tam fessus sum ut dormītem'; and so on.

The problem of the Second Year is to inculcate a 'grammatical conscience' in the pupil in regard to the matters just mentioned. He must be keen to express himself not merely to his own satisfaction, but to that of a Roman, or at any rate of Orbilius. He must set out, with a definite grammatical intention, to understand, use, and make his own, the more idiomatic constructions of the second year, which form the basis of the Latin period.

Free Composition will be used in the second year at

the teacher's own discretion—and risk. The learner, if left to himself, is notoriously apt to run wild, unless hemmed in by definite restrictions. The work should be limited in length and in subject-matter and, if there is a tendency to avoid difficulties, in the constructions to be employed. This gives the teacher an opportunity of keeping fresh any constructions that may be falling into disuse, squeezed out perhaps by new ones. In the book, the Interrogāta at the end are intended to call forth the skeleton of each Lēctiō. At first they are fairly numerous and simple. When answers have been obtained, the resulting simple sentences may be combined into an 'original' Composition by means of (*a*) connectives; (*b*) participles; (*c*) clauses; or by a combination of all three. Such exercises are always most useful. Later the questions are wider and give more scope for originality on the part of the pupil.

It is perhaps still necessary to warn the teacher against being a slave to the text-book. The Lēctiōnēs are not necessarily the *means* of learning the constructions they contain. They are to be led up to by careful oral preparation and are rather a final test of the success of this preparation. And the essential factor of this success is the spontaneity of the teacher. Once again, the Exercitātiōnēs will be found more useful in revision than in the first reading.

C. L. M.

SECUNDUS ANNUS

PRĪMA LĒCTIŌ. *Participia Praeterita: Clausula Temporālis.* (*Gram.* 18, 28 a.)

Rōmulus et Remus.

Dē Rōmulō Remōque īnfantibus fābula iam nārrāta est. Amūlius enim Numitōrem, frātrem nātū māiōrem, rēgnō expulit, fīlium ēius interfēcit, ipse rēgnum occupāvit. Rheae Silviae autem, Numitōris fīliae, nātī sunt geminī: hōs Amūlius prope Tiberim flūmen in agrīs inundātīs expōnī iussit. Expositōs tamen lupa, quae ad aquam bibendam[1] dēscenderat, invēnit, servāvit, nūtrīvit. Deinde pāstor rēgiī gregis, cum forte in silvam iniisset, eōs invēnit: inventōs uxōrī suae dedit ēducandōs. Ita cōnservātī pecora in stabulīs cūrābant, in agrīs pāscēbant: per silvās etiam aprōs et cervōs vēnābantur, sed lupīs[2] in vēnandō parcēbant quia lupa ipsōs tamquam māter nūtrīverat. Nec tamen ferās sōlum vēnābantur, sed in latrōnēs etiam praedā onerātōs impetūs faciēbant et praedam ab eīs rapiēbant: raptam praedam pāstōribus dīvidēbant. Sīc ēducātī pulchritūdine corporis, animī fortitūdine fīunt celebrēs.

Aliquandō autem latrōnēs quīdam Remum cēpērunt: captum ad Numitōrem dūxērunt: quō dūctus capitis damnātus est. Cum tamen pāstor rem tōtam aperuisset, avus nepōtem āgnōvit. Mox Numitor geminīque cōnsilium ineunt Amūlīī oppūgnandī: oppūgnātum eum occīdērunt. Itaque Numitor iterum Albae Longae rēgnāvit.

[1] Gram. 19. [2] Gram. 9.

Pēnsum.

i. Quōmodo Amūlius rēgnum occupāvit?
ii. Quōmodo geminōs occīdere cōnstituit?
iii. Quā dē causā illī nōn periērunt?
iv. Quō cōnsiliō pāstor eōs uxōrī dedit?
v. Quid illī faciēbant?
vi. Quae animālia vēnābantur? Quibus parcēbant?
vii. Quid Remō accidit?
viii. Cūr nōn interfectus est?
ix. Quid tandem geminī fēcērunt? [pāstor?
x. Quid significat grēx? cervus? latrō? fortitūdō?

Secunda Lēctiō. *Participia Praesēns et Futūrum.* (*Gram.* 2. i.)

Urbs condita. (annō urbis conditae I.)

Rōmulus et Remus igitur iam adulēscentēs Amūlium occīdērunt; posteā Numitor iterum Albae Longae rēgnāvit. Sed geminī pāstōrēs (volēbant enim et ipsī rēgnāre) urbem in eīs locīs ubi expositī et ēducātī erant condere cōnstituērunt. Utrī[1] tamen moenia pōnere fās erat? Ē geminīs enim uter māior uter minor nātū erat? Hoc quia incertum erat avibus crēdere cōnstituērunt. In monte Palātīnō Rōmulus, Remus in Aventīnō stetērunt caelum spectantēs et vulturēs ēnumerantēs. Hic sex vulturēs in caelō volantēs cōnspicit, ille duodecim. Rōmulus igitur urbem conditūrus est nōmenque suum urbī datūrus. Sed moenia dum sīgnat, 'Sī quis' inquit 'moenia mea trānsiliet, eum occīdam'. Remus tamen, cum Rōmulum arātrō moenia sīgnantem cōnspexisset, 'Num tūtus' inquit 'populus erit hīs moenibus?' Quīn etiam moenia surgentia dērīsit et dērīdēns trānsiluit: trānsilientem īrātus Rōmulus eum interfēcit. Itaque sōlus rēgnum occupāvit et nōmen suum urbī dedit. Hunc in modum Rōmulus Rōmam condidit nōmen suum servātūram, omnibus gentibus imperātūram.

[1] Gram. 7.

Pēnsum.

i. Quid Numitor fēcit cum Amūlium occīdisset?
ii. Ubi geminī urbem condere volēbant?
iii. Quid facientēs geminī in montibus stetērunt?
iv. Cūr Rōmulus (at nōn Remus) urbem condidit?
v. Quōmodo Rōmulus moenia sīgnāvit?
vi. Quid dīxit Rōmulus dē moenibus?
vii. Quid Remus?
viii. Quid fēcit Remus?
ix. Quid Rōmulus?
x. Quālem urbem condidit?

Tertia Lēctiō. *Ablātīvus Absolūtus.* (*Gram.* 29.)

Urbs nova. (A.U.C. V.)

Multa iam dē Rōmulō Remōque vōbīs nārrāta sunt: eadem nunc aliter explicāta audīte! Numitōre Albae Longae rēgnante, Amūlius rēgnō potīnī[1] cōnstituit: itaque Numitōrem rēgnō expulit, eōque expulsō ipse rēgnum occupāvit et fīliōs ēius geminōs prope Tiberim expōnī iussit: geminīs expositīs, lupa sitiēns ad aquam bibendam[2] dēscendit: bibente lupā, īnfantēs exclāmāvērunt. Illa, clāmōribus auditīs, ad silvās cum īnfantibus rediit. Tandem pāstor eōs inventōs uxōrī suae dedit ēducandōs. Saepius, dum geminī apud pāstōrem habitant, latrōnēs per silvās praedam rapiēbant: aliquandō autem Remum cēpērunt et apud Numitōrem accūsāvērunt. Remō damnātō et mortem exspectante, pāstor rem aperuit: avus nepōtem āgnōvit. Deinde Numitor cōnsilium cum geminīs iniit Amūlīī occīdendī. Illō occīsō, Numitor iterum Albae Longae rēgnāvit, sed geminī novam urbem condere cōnstituērunt: caelō spectātō et avibus ab utrōque ēnumerātīs, Rōmulus (plūrēs enim vīderat avēs) moenia sīgnābat: dum moenia sīgnat, Remus advēnit, dērīsit, moenia

[1] Gram. 10. [2] Gram. 19.

trānsiluit: sīc moenia dērīdentem īrātus Rōmulus frātrem interfēcit et sōlus rēgnum occupāvit.

Moenibus iam perfectīs, Rōmulus templa aliaque aedificia īnstituit. Quod cum factum esset, urbs indiēs Rōmulō rēge crēscēbat: sed ille, multīs et līberīs et servīs eō cottīdiē cōnfugientibus, sōlus tot et tam variōs cīvēs regere vix poterat. Itaque senātum, quī ex centum senātōribus cōnstitit, convocāvit; hī patrēs appellābantur, fīliīque eōrum patriciī: omnēs praeter hōs plēbs vel plēbēiī fuērunt. Senātum ḍē rēbus difficiliōribus, dē lēgibus ferendīs, dē foederibus cum populīs fīnitimīs faciendīs, rēx cōnsulēbat.

PĒNSUM.

I. Nārrā fābulam dē Rōmulō Remōque sub hīs capitibus:—
   i. Dē īnfantibus expositīs et inventīs.
   ii. Dē īnfantibus apud pāstōrem habitantibus.
   iii. Dē Remō captō, accūsātō, servātō.
   iv. Dē geminīs caelum spectantibus.
   v. Dē Remō occīsō.

II. Respondē:—
   i. Quā dē causā urbs indiēs crēscēbat?
   ii. Cūr Rōmulus senātum creāvit?
   iii. Quās in partēs dīvīsī erant Rōmānī?
   iv. Dē quibus rēbus rēx senātum cōnsulēbat?

QUĀRTA LĒCTIŌ. *Participia Dēpōnentium.* (*Gram.* 18.)

Sabīnae raptae. (A. U. C. XII.)

Virōrum in urbe novā satis māgnus erat numerus, sed dēerant mulierēs: neque enim cum fīnitimīs gentibus cōnūbiō Rōmānī ūtēbantur [1]. Quō in discrīmine rērum Rōmulus senātum cōnsuluit et ex patrum cōnsiliō lēgātōs circā vīcīnās gentēs mīsit societātem cōnūbiumque petītum [2]: 'foedus' inquiunt 'nōbīscum facite et fīliās vestrās nōbīs in mātrimōnium date'. Illī tamen nōluē-

[1] Gram. 10. [2] Gram. 19.

runt. Rōmulus igitur hanc contumēliam passus callidum iniit cōnsilium ulcīscendī. Lūdōs enim parāvit, ad quōs vīcīnās gentēs invītāvit. Diē īnstitūtō Sabīnī inter aliās gentēs, līberīs et coniugibus comitantibus, Rōmam profectī sunt. Rōmam cum pervēnissent, omnibus iam lūdōs spectantibus, in mediō plausū iuvenēs, sīgnō ā Rōmulō datō,

Respiciunt oculīsque notant sibi quisque puellam,
Virginibus cupidās īniciuntque manūs.
Ut fugiunt aquilās, timidissima turba, columbae,
Utque fugit vīsōs āgna novella lupōs,
Sīc illae timuēre virōs sine mōre ruentēs:
Cōnstitit in nūllā, quī fuit ante, color.

Fugiunt Sabīnae. Rōmānī fugientēs eās persecūtī tandem rapiunt et amplexī domum auferunt. Quō vīsō parentēs inermēs multīs clāmōribus Rōmā effugiunt: domum cum rediissent bellum Rōmānīs īnferre cōnstituunt. Virginēs etiam raptae prīmō indīgnantur, sed Rōmulus eās amīcīs verbīs cōnsōlātur:—'Nōlīte, ō Sabīnae, indīgnārī: in culpā enim est patrum vestrōrum contumēlia. Patrum oblīvīsciminī [1], et oblītae gaudēte! Coniugēs enim Rōmānōrum cīvium eritis.' Hīs verbīs permōtae Rōmānīs libenter nūbunt [2], et mātrōnae Rōmānae fīunt.

PĒNSUM.

i. Cūr mulierēs Rōmae dēerant?
ii. Quō cōnsiliō Rōmulus lēgātōs circā gentēs mīsit?
iii. Quid respondērunt fīnitimī?
iv. Quod cōnsilium Rōmulus iniit?
v. Cūr Sabīnī arma domī relīquērunt?
vi. Quibuscum ad lūdōs īvērunt?
vii. Quando sīgnum ā Rōmulō datum est?
viii. Quibus rēbus poēta perterritās virginēs comparat?
ix. Quōmodo Rōmulus Sabīnās cōnsōlātus est?
x. Quid tandem fēcērunt Sabīnae?

[1] Gram. 8. [2] Gram. 9.

Tarpēia. (A.U.C. XIII.)

Rōmulus autem, sīcut iam nārrātum est, Sabīnās sorte suā contentās esse iussit; quae tandem respondērunt libenter sē Rōmānīs nūbere. Sed Sabīnī cum domum rediisseut Rōmānōs īnfīdōs esse hospitēs dīxērunt; itaque bellum eīs īnferre parāvērunt. Mox bellō illātō Rōmam oppūgnāvērunt et Capitōlium, urbis arcem, obsidēbant.

Forte Spurius Tarpēius cūstōs arcis erat. Fīlia ēius, nōmine Tarpēia, dum Sabīnī cottīdiē moenia circueunt, armillās aureās, quās bracchiō sinistrō gerēbant, admīrāta cupiit: cōnsilium igitur eās adipīscendī iniit. Noctū ad castra Sabīnōrum fūrtim ēgressa hostibus dīxit armillās sē illōrum cupere. Prīmō Sabīnī dare nōluērunt: deinde illa 'Sī' inquit 'ea quae bracchiō sinistrō geritis mihi dabitis, quodcumque imperābitis faciam.' Cuī Sabīnōrum dux, vir callidissimus, ita respondit: 'Sī nocte proximā portam Capitōliī nōbīs aperueris, ea quae bracchiō sinistrō gerimus tibi dabimus'. Tum Tarpēia velle sē portam aperīre dīxit: prōmissō datō in arcem sē recēpit.

Proximā nocte, Rōmānīs dormientibus, portā ā Tarpēiā reclūsā, Sabīnī in Capitōlium invāsēre. Id quod prōmīserant dant, clipeōs enim iu Tarpēiam cōniciunt; illa clipeōs sibi, nōn armillās, prōmissa esse iam intellegit, atque mortua cadit.

Pēnsum.

i. Quid Rōmulus Sabīnās cōnsōlandī causā dīxit?
ii. Quid Sabīnae respondērunt?
iii. Quid dīxērunt Sabīnī dē Rōmānīs?
iv. Quid parāvērunt facere?
v. Quid cupiit Tarpēia?
vi. Quid hostibus dīxit?
vii. Quid dux Sabīnōrum respondit?

viii. Quōmodo Sabīnī in Capitōlium invāsērunt?
ix. Quōmodo prōmissō stetērunt?
x. Quid est armilla? clipeus?

Sexta Lēctiō. *Praedicātiō Oblīqua.* (*Gram.* 22.)

Mātrōnae pācem compōnunt. (A. U. C. XIII.)

Capitōliō sīc fraude captō, Sabīnī dīxērunt proelium sē cum Rōmānīs committere velle. Itaque proximō diē proeliī committendī causā in campum dēscendēre: aciē autem īnstructā, Sabīnae, quae iam mātrōnae Rōmānae erant, pācem inter hostēs compōnere cupiērunt: cum enim et coniugēs et patrēs valdē amārent,[1] neque viduae neque orbae fierī volēbant. Ab Hersiliā igitur convocātae dīcēbant inter sē Sabīnōs patrēs suōs esse, Rōmānōs virōs: ipsās esse uxōrēs hōrum, illōrum fīlīas: hinc virōs arma tenēre, illinc patrēs: cum autem utrōsque amārent,[1] neque hōs neque illōs velle sē occīdī. Hersilia enim, 'Sī' inquit 'patrēs nostrī occīsī erunt, orbae erimus: sī virī, viduae. Utrum socerōs vultis an generōs adiuvāre? Cōnsilium vōbīs pācis compōnendae dabō.'

Cōnsilium dederat: pārent, crīnēsque resolvunt,
Maestaque fūnereā corpora veste tegunt.
Iam steterant aciēs ferrō mortīque parātae,
Iam lituus pūgnae sīgna datūrus erat,
Cum raptae veniunt inter patrēsque virōsque,
Inque sinū nātōs, pīgnora cāra, tenent.
Ut medium campī scissīs tetigēre capillīs,
In terram positō prōcubuēre genū.
Et quasi sentīrent, blandō clāmōre nepōtēs
Tendēbant ad avōs bracchia parva suōs.
Quī poterat, clāmābat avum, tunc dēnique vīsum,
Et quī vix poterat, posse coāctus erat.

[1] Gram. 28 b.

Tēla virīs animīque cadunt, gladiīsque remōtīs
Dant socerī generīs accipiuntque manūs:
Laudātāsque tenent nātās, scūtōque nepōtem
Fert avus. Hic scūtī dulcior ūsus erat.

PĒNSUM.

i. Quam partem Rōmae cēpērunt Sabīnī? Quōmodo?
ii. Quō cōnsiliō Sabīnī in campum dēscendēre?
iii. Quis erat Hersilia?
iv. Quō cōnsiliō Hersilia mātrōnās convocāvit?
v. Quid inter sē dīcēbant?
vi. Quid dīxit Hersilia?
vii. Dēscrībe mātrōnās inter aciēs īnstructās venientēs.
viii. Quid pūgnae dat sīgnum?
ix. Quid fēcērunt īnfantēs?
x. Quid avī?

SEPTIMA LĒCTIŌ. *Praedicātiō Oblīqua.* (*Gram.* 22.)

Rēgēs Rōmānī.

Apud Titum Līvium, rērum Rōmānārum scrīptōrem, invenīmus septem omnīnō Rōmae fuisse rēgēs. Rōmulō succēssit Numa Pompilius, vir pācis amāns, pius, sapiēns. Fāma est eum īn lūcō sacrō nympham quandam, nōmine Ēgeriam, cōnsulere solitum esse, et ab eā rītūs sacrōs didicisse. Cōnstat saltem hunc Rōmānōs rēs sacrās docuisse; ferunt eum sacerdōtēs, Vestālēs virginēs, templum Iānī īnstituisse. Vestālēs autem īgnem in ārā Vestae accēnsam diem noctemque servābant. Templō Iānī duae erant iānuae, quae in bellō apertae stābant, clausae in pāce; Numā rēge clausae semper manēbant.

Tullus Hostīlius, rēx tertius, bellō studēbat. Bellō quondam Albae Longae illātō, Horātiī, trēs Rōmānī frātrēs, contrā trēs Albānōs frātrēs, nōmine Curiātiōs, pūgnāvisse dīcuntur. Rēs mīrō modō ēvēnit. Ex Rōmānīs duo occīsī, Albānī cūnctī vulnerātī sunt. Tum tertius

Rōmānus per campum fugiēns Albānōs ad persequendum allicit, et dum longīs inter sē intervāllīs sequuntur sīngulōs obtruncat.

Apud Līvium invenīmus etiam Ancum Mārcium, quārtum rēgem, multa Latīnōrum oppida expūgnāsse, incolās Rōmam trādūxisse domiciliaque eīs in Aventīnō dedisse; Lūcium Tarquinium Prīscum, quīntum rēgem, et pācis et bellī artibus studuisse: imprīmīs eum multīs et pulcrīs aedificiīs forum ōrnāvisse, et urbem mūrō cingere incēpisse.

Tarquiniō occīsō, Servius Tullius, servae fīlius, rēx acceptus est ā plēbe. Moenia ā Tarquiniō incepta perfēcit: societātem Latīnīs cum gentibus iniit. Sed Lūcius Tarquinius Superbus, Tullī dignitatis invidus, eum occīdit et ipse rēgnum occupāvit. Dē hōc, ultimō Rōmānōrum rēge, nōnnūllae nārrandae sunt vōbīs fābulae.

Ordō Rēgum Rōmānōrum Fāmā Trāditus.

Rōmulus: annō urbis conditae prīmō.
Numa Pompilius: A.U.C. XXXVII.
Tullus Hostīlius: A.U.C. LXXXI.
Ancus Mārcius: A.U.C. CXII.
Lūcius Tarquinius Prīscus: A.U.C. CXXXVIII.
Servius Tullius: A.U.C. CLXXVI.
Tarquinius Superbus: A.U.C. CCXIX.
Rēgēs expulsī: A.U.C. CCXLIV.

Pēnsum.

i. Quotō annō rēx quisque rēgnāre coepit et quamdiū rēgnāvit?

e.g. Rōmulus cum prīmō annō urbis conditae rēgnāre incēpisset, septem et trīginta annōs rēgnāvit.

ii. Scrībe nōnnūllās rēs quās rēx quisque ēgit.

Gabiī captī. (A.U.C. CCXXV.)

Tarquinius Superbus, multīs Latīnōrum gentibus victīs, Gabiōs, propinquam urbem, capere cōnstituit. Gabīnī autem, moenibus mūnītīs, iamdūdum obsidentibus hostibus resistēbant, cum Sextus, fīlius Superbī nātū minimus, callidissimum cōnsilium iniit. Frātrēs enim sē ferīre iussit: verbera passus Gabiōs trānsfūgit. Quō cum pervēnisset, Gabīnī gladiīs strīctīs eum occīsūrī erant: ille tamen, notīs verberum mōnstrātīs, patrem frātrēsque Rōmā sē expulisse affirmāvit. Itaque hospitāliter ā Gabīnīs exceptus, māgnam apud eōs auctōritātem habēre coeperat. Mox, dux factus, servum ad patrem clam mīsit līttерās portantem, in quibus haec verba scrīpserat:— 'Māgnam iam auctōritātem apud Gabīnōs habeō: quid nunc mihi faciendum est[1]?' Rēx līttерīs perlēctīs nihil quidem vōce respondit, sed in hortum trānsiit sequente nūntiō: ibi ambulāns summa papāverum capita baculō dēcussit. Sīc nūllō respōnsō acceptō, nūntius, cum Gabiōs rediisset, Sextō nūntiāvit Tarquinium Superbum vōcem quidem ēdidisse nūllam, sed summa papāverum capita baculō dēcussisse. Hōc audītō Sextus iussa patris intellēxit: prīncipēs Gabīnōrum, iniūriā apud populum accūsātōs, aut mortī dedit aut in vincula coniēcit. Tum dēmum, ducibus sublātīs, Gabiī urbs rēgī Rōmānō nūllō certāmine in manum trāditur.

Pēnsum.

i. Quod cōnsilium Sextus iniit?
ii. Quid frātrēs iussit facere?
iii. Quid Gabīnīs dixit?
iv. Cūr Gabīnī eī crēdidērunt?
v. Quid ille apud Gabīnōs fēcit?

[1] Gram. 20.

vi. Quō cōnsiliō servum ad patrem mīsit?
vii. Quid in lītterīs scrīptum erat?
viii. Quōmodo pater respondit?
ix. Quid servus Sextō nūntiāvit?
x. Quid est baculum? papāver? certāmen?

Nōna Lēctiō. *Praedicātiō Oblīqua.* (*Gram.* 22.)

Librī Sibyllīnī. (A.U.C. CCXXVII.)

Ad Tarquinium advēnit quondam anus peregrīna, quae novem librōs ferēbat. Ōrācula dīxit in illīs scrīpta esse; rēgī sē māgnō pretiō eōs venditūram esse. Cum tamen ille tantī[1] librōs emere nōllet, trēs ex novem in flammās coniēcit. Hīs combūstīs, sex eōdem pretiō datūram sē dīxit; sed Tarquinius respondit rīdiculum esse librōs tantī aestimārī. Deinde anus, tribus aliīs combūstīs, prōmīsit sē reliquōs eōdem pretiō illī trāditūram esse. Tum dēmum rēx, tantam pertināciam admīrātus, librōs ēmit: spērāvit enim eōs māgnō ūsuī[2] sibi futūrōs esse. Solūtā pecūniā, anus, Sibyllam sē esse locūta, abiit.

Sibyllīnī librī quadringentōs annōs in Capitōliō cūstōdiēbantur, dōnec arce incēnsā periēre. Neque inūtilēs fuērunt, nam sī quandō rēspūblica in perīculum addūcta erat, Pontifex Māximus ex librīs ōrāculum petēbat; cōgnitā deōrum voluntāte, rēs bene atque fēlīciter ēveniēbat.

Pēnsum.

i. Quō cōnsiliō anus ad Tarquinium advēnit?
ii. Quid dē librīs dīxit?
iii. Cūr rēx eōs emere nōlēbat?
iv. Quid tum anus fēcit?
v. Cūr tandem rēx trēs ēmit?
vi. Quantō pretiō?
vii. Quōmodo posteā periēre hī librī?
viii. Quōmodo ūtilēs fuērunt?
ix. Quid est ōrāculum? pretium? Capitōlium?

[1] Gram. 12. [2] Gram. 11.

Rēgēs expulsī. (A.U.C. CCXLIV.)

Cingitur intereā Rōmānīs Ardea sīgnīs,
Et patitur longās obsidiōne morās.
Dum vacat, et metuunt hostēs committere pūgnam,
Lūditur in castrīs: ōtia mīles agit.
Tarquinius iuvenis sociōs dapibusque merōque
Accipit.

Fortasse cēnantēs dē uxōribus colloquuntur.

Quisque suam laudat: studiīs certāmina crēscunt,
Et fervet multō linguaque corque merō.
Surgit cuī dederat clārum Collātia nōmen:
'Nōn opus est verbīs, crēdite rēbus,' ait,
Nox superest: tollāmur equīs, Urbemque petāmus!'
Dicta placent: frēnīs impediuntur equī.

Cum Rōmam pervēnissent, prīmum ad rēgiam eunt: uxōrem rēgis pervigilantem et cēnantem inveniunt. Deinde ad aedēs Collātīnī eunt: illīus uxor Lucrētia, quam omnēs Rōmānae mātrōnae admīrābantur, pēnsa servīs dabat et ipsa lānam nēbat: lacernam enim dominō texēbat. Dum fīla trahit, dē virīs prō patriā pūgnantibus loquēbātur.

'Sint tantum reducēs! Sed enim temerārius ille
Est meus, et strictō quālibet ēnse ruit.
Mēns abit et morior, quotiēns pūgnantis imāgō
Mē subit, et gelidum pectora frīgus habet.'
Dēsinit in lacrimās, intentaque fīla remittit,
In gremiō vultum dēposuitque suum.
'Pōne metum, veniō!' coniūnx ait: illa revīxit,
Dēque virī collō dulce pependit onus.

Tum quidem ad castra redeunt. Sed paucīs post diēbus Sextus Tarquinius, noctū ē castrīs fūrtim ēgressus, Rōmam

ad Lucrētiam pervēnit et amōrem suum eī cōnfessus est. Māne Collātīnus, ab uxōre arcessītus, ad urbem, Brūtō amīcō suō comitante, rediit: cuī Lucrētia, tōtam rem cōnfessa, negāvit sē diūtius vīvere oportēre. Quō dictō, cultrum, quem sub veste abditum habēbat, in pectore dēfīxit, prōlāpsaque in vulnus moribunda cecidit.

Corpore ēius in forum dēlātō, Brūtus apud plēbem convocātam scelus rēgium incūsat: Sextum Tarquinium noctū Rōmam pervēnisse et amōrem suum Lucrētiae cōnfessum esse: illam, tōtā rē marītō dēnūntiātā, mortem sibi cōnscīvisse. Tum tōta plēbs, quae superbiam Tarquinī iamdūdum indīgnābātur, ūnā vōce clāmāvit Tarquiniōs ē rēgnō expellendōs, rēgum dominātum nōn diūtius patiendum esse. Deinde Brūtus ad exercitum regressus līberātor urbis exstitit; expulsī rēgēs in Etruscōs cōnfūgērunt. Rōmae duo cōnsulēs creātī sunt, L. Iūnius Brūtus et L. Tarquinius Collātīnus.

Pēnsum.

i. Quid circum Ardeam fīēbat?
ii. Quid ibi fēcit Tarquinius iuvenis?
iii. Cūr Lucrētiam admīrābantur Rōmānae mātrōnae?
iv. In mediīs certāminibus quid dīxit Collātīnus?
v. Noctū quid faciēbant uxor rēgis et Lucrētia?
vi. Cūr Sextus Rōmam rediit?
vii. Postrīdiē quid fēcit Lucrētia?
viii. Quid dīxit Brūtus apud plēbem convocātam?
ix. Quid clāmāvit plēbs?
x. Quid Rōmae ēvēnit?

Ūndecima Lēctiō. *Petītiō Oblīqua.* (*Gram.* 25.)

Lars Porsenna.

Tarquinī Rōmā expulsī Clūsium ad Lartem Porsennam, Etruscōrum rēgem, exulēs perfūgērunt, et 'Ō Porsenna,' inquiunt, 'Rōmam oppūgnā et rēgnum nōbīs recipe; ipsī enim Etruscīs ortī sumus. Poenās dē

Rōmānīs sūme! Nam rēgēs suōs expulērunt: nisi poenās dē Rōmānīs sūmēs, omnēs fortasse populī rēgēs suōs expellent!' Hīs verbīs eum ōrābant ut, Rōmā oppūgnātā, simul rēgnum sibi reciperet simul poenās dē Rōmānīs sūmeret. Tandem eī persuāsērunt ut armīs sūmptīs sibi succurreret.

Porsenna igitur mīlitibus imperāvit nē cēssārent sed armīs sūmptīs Rōmam oppūgnārent; mox māgnō cum exercitū Rōmam contendit. Perterritus est senātus, adeō validum tunc erat Clūsium māgnumque Porsennae nōmen. Nec hostēs modo senātus timēbat sed suōs etiam cīvēs: crēdēbat enim Rōmānam plēbem perterritam Tarquiniōs rēgēs exceptūram esse, et cum servitūte fortasse pācem acceptūram. Hostibus appropinquantibus omnēs in urbem dēmigrant, urbem ipsam exercitū dēfendere parant. Altera pars moenibus, altera Tiberī flūmine vidēbātur esse tūta. Ūnum hostibus iter Pōns Sublicius praebēbat.

Pēnsum.

i. Quō fūgērunt Tarquiniī?
ii. Quid dē gente suā dīxērunt?
iii. Quid dē cēterīs populīs affīrmāvērunt?
iv. Quid Porsennam ōrāvērunt?
v. Quid eī persuāsērunt?
vi. Quid Porsenna mīlitibus imperāvit?
vii. Quid senātus timēbat?
viii. Quid dē plēbe crēdidit?
ix. Quōmodo tūta erat Rōma?
x. Quod iter vix tūtum erat?

Duodecima Lēctiō. *Petītiō Oblīqua.* (*Gram.* 25.)

Horātius.

Hostēs repentīnō impetū Iāniculum cēpērunt: Rōmānī ordinibus relictīs in urbem fugiēbant. Horātius Cocles, forte in statiōne pontis positus, hostēs Iāniculum cēpisse

et suōs fugere cōnspexit. Fugientēs, dum eum praetereunt, ōrāvit ut sēcum manērent et pontem dēfenderent, illī pavidī negāvērunt sē id factūrōs; deinde eōs precātus est ut pontem ferrō īgnīque rescinderent: sē ipsum impetum hostium sustentūrum esse. Sōlus deinde vādit in prīmum aditum pontis, armīsque ad pūgnandum parātīs ipsō mīrāculō audāciae Etruscōs obstupefēcit. Duōbus tamen, Spuriō Lartiō et Titō Herminiō, persuāsit ut sibi succurrerent. Hīs cum sociīs pūgnam inīquam sustinet, dum cīvēs extrēmum pontem rescindunt. Parvā autem parte pontis relictā, sociīs duōbus imperāvit ut in tūtum sē reciperent. Ūnus ipse nunc sīngulōs hostēs, nunc ūniversōs ad pūgnam prōvocat. Hī prīmō morātī alius alī suādent ut in ūnum hostem impetum facerent. Pudor tandem eōs commōvit, et clāmōre sublātō undique in Horātium tēla cōniciunt. Haec omnia in scūtō haesērunt, sed ille obstinātus ingentī gradū pontem iam paene frāctum obtinēbat. Postrēmō in flūmen eum impetū dētrūdere cōnābantur, cum simul fragor ruptī pontis, simul clāmor ā Rōmānīs sublātus impetum retinuit. Tum dēmum Cocles Tiberim precātus est ut armātum sē propitiō flūmine acciperet. Ita armātus in Tiberim dēsiluit, multīsque superincidentibus tēlīs incolumis ad suōs trānāvit.

PĒNSUM.

i. Ubi Horātius positus est?
ii. Quid cōnspexit?
iii. Quid fugientēs ōrāvit?
iv. Quid respondērunt?
v. Quōmodo ille Etruscōs obstupefēcit?
vi. Quid duōbus comitibus persuāsit?
vii. Quid hī trēs faciēbant, dum cīvēs pontem frangunt?
viii. Ponte paene frāctō, quid comitibus imperāvit?
ix. Quid hostēs facere cōnābantur?
x. Quōmodo Horātius sē ē perīculō ēripuit?

Mūcius Scaevola.

Hunc in modum Porsenna Rōmam oppūgnāre cōnātus erat, sed repulsus cōnsilia ab oppūgnandā urbe ad obsidendam vertit. Itaque, praesidiō in Iāniculō locātō, castra in campō rīpīsque Tiberis posuit, eō cōnsiliō ut urbem obsidēret; quō factō Rōmānōs prohibēbat frūmentum petere extrāve portās exīre. Inde ēvēnit māgna in urbe cibī inopia. Tandem autem Gāius Mūcius, iuvenis nōbilis, cōnsilium iniit et senātum ad id expōnendum adiit: velle sē, flūmine trāiectō, in hostium castra intrāre: in animō habēre māgnum aliquid audēre. Persuāsit patribus ut rem approbārent: et, abditō intrā vestem mūcrōne, ad hostēs profectus est.

Eō cum pervēnisset, in dēnsissimā turbā prope tribūnal rēgium cōnstitit. Ibi scrība cum rēge sedēbat parī ferē vestītū ornātus, ut mīlitibus stīpendium daret. Mūcius autem, cuī īgnōtus erat Porsenna, scrībam prō rēge occīdit. Statim fūgit, quā per turbam cruentō mūcrōne sibi ipse fēcerat viam, sed captum rēgiī cūstōdēs ad tribūnal redūxērunt; ibi 'Rōmānus sum' inquit 'cīvis: C. Mūcium mē vocant. Hostis hostem occīdere voluī, neque minus ad moriendum parātus sum quam fuī ad caedendum. Et facere et patī fortia Rōmānum est. Neque ūnus in tē ego hoc voluī: longus post mē ordō est idem petentium'.

Tum rēx, simul īrā incēnsus perīculōque perterritus, īgne accēnsō, Mūciō imperāvit ut plānē cōnsilia sua expōneret. Ille tamen 'Vīle' inquit 'corpus est eīs quī māgnam glōriam petunt': et dextram suā sponte in flammās iniēcit, neque dolōrem sentīre vidēbātur. Attonitus mīrāculō Porsenna ē sellā prōsiluit, et Mūcium domum dīmīsit: 'Tū abī' inquit, 'magis enim in tē quam in mē fortia ausus es'. Tunc Mūcius haud ingrātus nūntiāvit trecentōs iuvenēs coniūrāvisse eō cōnsiliō ut

rēgem occīderent: suam prīmam sortem fuisse, cēterōs suō quemque[1] tempore adfutūrōs esse. Quem dīmissum mox lēgātī Rōmam secūtī sunt ad condiciōnēs pācis ferendās. Posteā eī combūstam ob dextram Scaevolae cōgnōmen inditum est.

PĒNSUM.

i. Quod alterum cōnsilium Porsenna iniit?
ii. Quid mīlitēs hortātus est?
iii. Quid Rōmānōs prohibuit facere?
iv. Quid C. Mūcius senātuī dīxit?
v. Quō cōnsiliō profectus est?
vi. Quō cōnsiliō scrība cum rēge sedēbat?
vii. Cūr Mūcius prō rēge scrībam occīdit?
viii. Redūctus quid fēcit?
ix. Quid dīxit Mūcius dē cēterīs iuvenibus?
x. Quō cōnsiliō lēgātī Rōmam missī sunt?

QUĀRTA DECIMA LĒCTIŌ. *Clausula Fīnālis.* (*Gram.* 28 d.)

Cloelia.

Pāx composita est eā condiciōne ut obsidēs ā Rōmānīs darentur. Tum Porsenna exercitum dē Iāniculō dēdūxit et ab agrō Rōmānō excēssit. Haud tamen procul ā rīpīs Tiberis castra posuit, nē Rōmānī condiciōnēs violārent. Sed Cloelia virgō, ūna ex obsidibus, frūstrāta cūstōdēs, dux āgminis virginum facta, inter tēla hostium Tiberim trānāvit incolumēsque omnēs comitēs parentibus restituit. Quod ubi rēgī nūntiātum est, prīmum īrā incēnsus ōrātōrēs Rōmam mīsit, quī imperārent ut Cloelia saltem obses redderētur: deinde, ab īrā in admīrātiōnem versus, Cloeliam dīxit Coclite Mūciōque fortiōrem esse. Utrimque cōnstitit fidēs: Rōmānī obsidēs omnēs ad Porsennam remīsērunt.

Quās profectās Tarquiniī in itinere excēpērunt, eō cōnsiliō ut eās occīderent: nōlēbant enim pācem esse inter

[1] Gram. 14.

Porsennam et Rōmānōs; sed cūstōdēs Etruscī Tarquiniōs prohibuērunt quōminus id facerent. Quō audītō Porsenna, amīcitiā Tarquiniōrum omnīnō reiectā, domum profectus est. Inde Rōmānīs pāx fīrma cum eō fuit. Populō Rōmānō, quia māgna in urbe erat cibī inopia, omnia quae in castrīs Etruscīs relicta erant dedit. Cloeliam obsidēsque nōn modo Rōmam nūllā condiciōne remīsit, sed etiam equum et arma virginī dedit. Rōmānī in summā Sacrā Viā statuam Cloeliae equō īnsīdentis posuērunt.

Pēnsum.

i. Quā condiciōne pāx composita est?
ii. Quō cōnsiliō Porsenna castra haud procul Rōmā posuit?
iii. Quōmodo Cloelia per cūstōdēs effūgit?
iv. Quō cōnsiliō dux virginum facta est?
v. Quid Porsenna statim imperāvit?
vi. Quōmodo Cloeliam cum Coclite et Mūciō comparābat?
vii. Quō cōnsiliō Tarquiniī obsidēs in itinere excēpērunt?
viii. Quā dē causā hoc fēcērunt?
ix. Quid Porsenna dē Tarquiniīs fēcit?
x. Quid Cloeliae et Rōmānīs dedit?

Quīnta Decima Lēctiō. *Prōnōmina.* (*Gram.* 13, 14.)

Sēcēssiō Plēbis et Tribūnī creātī. (A.U.C. CCLX.)

Senātus Rōmānus plēbī prōmīserat lēgem sē bellō cōnfectō lātūrum esse ut mīlitēs aere aliēnō līberārentur. Bellō tamen cōnfectō, prōmissō nōn steterat: hoc plēbs indīgnāta, Siciniō quōdam auctōre, in Sacrum Montem sēcēssit: ultrā Aniēnem flūmen Sacer Mōns tria ab urbe mīlia passuum abest. Ibi nūllō duce, castrīs vāllō fossāque mūnītīs, quiētī aliquot diēs sēdērunt neque quidquam nisi ad vītam necessārium accēpērunt. Pavor ingēns in urbe fuit: timēbant enim patrēs nē quis impetum in urbem faceret: nam quīlibet hostis Rōmam mīlitibus carentem capere poterat. Senātuī tandem placuit

ōrātōrem ad plēbem mittere Menēnium Agrippam, virum fācundum et plēbī cārum. Is in castra exceptus hanc fābulam nārrāvisse fertur :—

'Anteā in homine nōn, ut nunc, omnia membra in ūnum cōnsentiēbant, sed, quod cuīque vīsum erat, id faciēbant. Ōlim reliquae partēs contrā ventrem coniūrāvērunt: suā sē cūrā et suō labōre ventrī omnia quaerere dīcēbant, neque ventrem quicquam aliud facere quam datō cibō fruī. Placuit igitur nē manūs ad ōs cibum ferrent nēve ōs cibum datum acciperet neu dentēs mordērent: hōc modō famē ventrem sē victūrōs esse spērābant. At interim ipsa membra tōtumque corpus tābēscēbant. Inde appārēbat ventrem quoque haud īgnāvum esse, neque cibō sōlum fruī, sed etiam officiō suō fungī: cibō enim cōnsūmptō, sanguinem inde in omnēs partēs corporis reddere.'

Hāc fābulā nārrātā, haud dubium esse plēbī vidētur quīn[1] ipsa sibi per sēditiōnem nocēret. Pāx igitur composita est eā condiciōne ut duo ex plēbe tribūnī creārentur, quibus licēret cōnsulēs ipsōs agere vetāre.

PĒNSUM.

i. Cūr plēbs īrāta est?
ii. Quid propterea fēcit?
iii. Quid senātus metuit?
iv. Quō cōnsiliō Menēnium ad plēbem mīsit?
v. Quid ille plēbī persuāsit?
vi. Quā condiciōne plēbs rediit?
vii. Quam potestātem tribūnī Rōmānī habēbant?
viii. Nārrā fābulam dē membrīs corporis.

SEXTA DECIMA LĒCTIŌ. *Interrogātiō Oblīqua.* (*Gram.* 24.)

Coriolānus. (A. U. C. CCLXV.)

Pāce cum Latīnīs populīs compositā, Rōmānī, multīs Volscōrum oppidīs captīs, Coriolōs advēnērunt. Prīmum

[1] Gram. 30.

lēgātōs mīsērunt quī rogārent num oppidum sibi trādere vellent: deinde, negantibus oppidānīs, oppidum māgnā vī adortī sunt. Tum, Rōmānīs in obsidiōnem intentīs, simul Volscī Antiō ad auxilium ferendum contendērunt, simul oppidānī ex oppidō ērūpērunt. Forte in statiōne erat Gāius Mārcius, adolēscēns et cōnsiliō et manū promptus: is cum dēlēctā mīlitum manū nōn modo impetum ērumpentium reppulit, sed per patentem portam ferōx irrūpit, et, caede in urbe factā, īgnem aedificiīs iniēcit. Volscī autem, quī ad auxilium ferendum vēnerant, prae clāmōribus oppidānōrum nesciēbant quī essent Rōmānī, quī sociī suī. Fugātīs eīs oppidum Coriolī captum est. C. Mārciō propter rēs gestās cōgnōmen fuit Coriolānō.

Eō annō Rōmānī frūmentō carēbant: incultī enim propter sēcessiōnem agrī erant. Famē oppressī, quālem obsessī patī solent, dēlīberābant quid faciendum esset. Tandem māgna vīs frūmentī ex Siciliā advēcta est: rogātum est in senātū quantī plēbī emendum esset. C. Mārcius autem senātōrēs admonuit nē ūllum frūmentum plēbī darent: proximō enim annō eam sēcēssisse: iterum tunc, sī ita placēret, sēcēderent. Nōnne viam in Sacrum Montem aliōsque collēs patēre? Frūmenta ex agrīs Rōmānīs anteā rapuisse: tunc etiam eīs licēre quidquid in agrīs esset rapere. Irā tandem incēnsa plēbs popōscit ut Coriolānus apud iūdicēs accūsārētur. Accūsātus damnātur; mortem ut vītāret, in Volscōs exul abiit: ā Volscīs benīgnē exceptus mox prīnceps factus est.

Tum Volscī, bellō Rōmānīs indictō, multīs oppidīs captīs, Rōmam ipsam obsēdērunt. Prīmum ōrātōrēs, deinde sacerdōtēs, supplicēs ad Mārcium missī sunt quī ōrārent ut pācem compōneret: sed atrōx respōnsum ille reddidit. Postrēmō duae mātrōnae, fīliōs sēcum ferentēs, ad hostium castra appāruērе. Rogāvit Coriolānus quī advenīrent: cum autem eī nūntiātum esset mulierēs adesse,

prīmum multō obstinātius eās sprēvit: mox servus quīdam, quī Veturiani mātrem eius et Volumniam uxōrem āgnōverat, 'Nisi mē frūstrantur' inquit 'oculī, māter tua uxorque et līberī adsunt'. Coriolānus ā sēde suā dēsiluit ad mātrem amplectendam. Illa tamen, ā precibus ad īram versa, rogāvit eum utrum hostis esset an fīlius, ipsa māter an captīva. Deinde Coriolānus suōs amplexus dīmīsit, et ipse ab urbe castra mōvit. Periisse eum inter Volscōs aliī aliō lētō trādunt.

Pēnsum.

i. Quō cōnsiliō lēgātōs Rōmānī Coriolōs mīsērunt?
ii. Quid oppidānī respondērunt?
iii. Quālis vir erat C. Mārcius?
iv. Quō cōnsiliō Volscī Antiō advēnērunt?
v. Quid in oppidō Mārcius fēcit?
vi. Cūr Rōmānī frūmentō carēbant?
vii. Quālī famē oppressī sunt?
viii. Quid ex Siciliā petītum est?
ix. Quid in senātū dēlīberātum est?
x. Quid Mārcius monuit?
xi. Cūr nōlēbat cibum plēbī darī?
xii. Quid tum plēbs popōscit?
xiii. Quō cōnsiliō Mārcius exul abiit?
xiv. Quō cōnsiliō ōrātōrēs ad Mārcium missī sunt?
xv. Quis etiam ad eum missus est?
xvi. Quid servus nūntiāvit?
xvii. Quid māter Mārcium rogāvit?
xviii. Quid ferunt dē morte ēius?

Septima Decima Lēctiō. *Interrogātiō Oblīqua.* (*Gram.* 24.)

Fabiī. (A.U.C. CCLXXVII.)

Dum Rōmānī aliīs bellīs intentī sunt, Vēientēs agrōs eōrum vāstāre incēpērunt. Dēerant Rōmānīs et mīlitēs et pecūnia. Tum gēns Fabia senātum adiit: rogantem senātum quid in animō habērent Quīntus Fabius prō gente ōrāvit ut senātōrēs alia bella cūrārent, Fabiōs hostēs

Vēientibus darent: hoc sē velut familiāre bellum suā pecūniā gerere velle. Grātiae ingentēs āctae: nēmō enim dubitābat quīn[1] victūrī essent Fabiī. Cīvēs eōs ad caelum laudibus ferēbant: rogābant inter sē quae aliae gentēs contrā Volscōs pūgnāre vellent. Posterō diē Fabiī arma capiunt: quō iussī erant, conveniunt, sex et trecentī mīlitēs—omnēs patriciī, omnēs ūnīus gentis, 'Ē quīs', ut apud Ovidium invenīmus, 'dux fierī quīlibet aptus erat'. Ad Cremeram flūmen perveniunt. Fūsī hostēs ac retrō ad Saxa Rubra rēpulsī (ibi castra habēbant) pācem supplicēs petunt.

Pāce impetrātā, nōnnūllōs tamen impetūs hostēs faciēbant praedae causā: quibus in certāminibus Fabiī saepius victōriam reportābant.

Aliquandō Fabiī pecora quaedam, ab hostibus in campō collibus et silvīs inclūsō relicta, cōnspexērunt. Īnsidiās nōn cavēbant, neque cōgitābant num hostēs ibi cēlātōs repertūrī essent, quidve dolī parārent; in campum incautī dēcurrērunt ut pecora raperent. Sed hostēs,

Ubi vincere apertē
Nōn datur, īnsidiās armaque tecta parant.
Quō ruitis, generōsa domus? Male crēditis hostī.
Sīmplex nōbilitās, perfida tēla cavē!
Fraude perit virtūs: in apertōs undique campōs
Prōsiliunt hostēs et latus omne tenent.
Quid faciant[2] paucī contrā tot mīlia fortēs?

Fabiīs circumventīs tēla undique incidēbant: ācriter sed frūstrā pūgnātum est: Fabiī caesī ad ūnum omnēs.

Ūna diēs Fabiōs ad bellum mīserat omnēs,
Ad bellum missōs perdidit ūna diēs.

PĒNSUM.

i. Quid Quīntus Fabius senātum ōrāvit?
ii. Quā de causā hoc ōrāvit?

[1] Gram. 30. [2] Gram. 17.

iii. Quid rogāvērunt cīvēs?
iv. Quōmodo Ovidius Fabiōs dēscrīpsit?
v. Quid hostēs fūsī ōrāvērunt?
vi. Quāle bellum deinde fuit?
vii. Quōmodo victī sunt Fabiī?
viii. Cūr in īnsidiās incidērunt?

Duodēvīcēnsima Lēctiō. *Interrogātiō Oblīqua.* (*Gram.* 24.)

Cincinnātus. (A. U. C. CCXCVI.)

Aequī, incursiōne in Latium factā, castra exercitūs Rōmānī obsidēbant. Hōc nūntiātō, ingēns in urbe fuit pavor. Alter cōnsul in castrīs obsessīs erat, alterī nēmō cōnfīdēbat. Senātuī igitur placuit dictātōrem creāre: cōnsēnsū omnium Lūcius Quīnctius Cincinnātus creātus est. Ille, ūna spēs imperiī Rōmānī, ultrā Tiberim agrum quattuor iūgerum colēbat. Dum arat, advēnērunt lēgātī quī iussa senātūs eī nūntiārent; salūte datā et redditā, petiērunt ut togātus mandāta audīret. Quō audītō Quīnctius uxōrem rogāvit ubi togam suam reposuisset et ut sibi daret; tandem, indūtā togā, ā lēgātīs accēpit quid patrēs iussissent; illī dictātōrem eum salūtāvērunt, quid in castrīs accidisset nārrāvērunt.

Cincinnātus, in nāve pūblicē parātā Tiberim trānsvectus, ā patribus ipsīs Rōmae exceptus est. Posterō diē, cum ante lūcem in forum advēnisset, Lūcium Tarquitium magistrum equitum nōminmāvit; deinde imperāvit ut omnēs tabernae clauderentur, et, quīcumque aetāte mīlitārī essent, armātī cum cibō in diēs quīnque coctō vāllīsque duodēnīs, ante sōlis occāsum in Campō Mārtiō adessent; senibus, ut cibum coquerent, imperāvit. Ante sōlis occāsum omnēs armātī, vāllōs et cibum ferentēs, et itinerī et proeliō aptī convēnērunt. Cincinnātus āgmine compositō ad castra obsessa profectus est. Mediā nocte, ubi

sēnsit sē prope hostēs esse, equō circumvēctus explōrāvit quālia castra hostēs fēcissent. Tum exercitum longō āgmine hostibus circumdedit.

Statim sīgnō datō clāmōrem ingentem mīlitēs tollunt, ante sē quisque vāllōs humī fīgunt, fossam vāllumque facere incipiunt. Clāmor castra hostium superāvit et in castrīs cōnsulis audītus est. Prīmō autem cōnsul haud certō sciēbat unde clāmor vēnisset: tum, ubi intellēxit cīvīlem esse clāmōrem et auxilium adesse, suīs imperāvit ut arma caperent et sē sequerentur. Extemplō nocte proelium initum est: ācriter ab Aequīs, quī timēbant nē obsessī Rōmānī per media sua castra ērumperent, pūgnātum cum cōnsule usque ad lūcem est. Prīmā lūce iam omnīnō ā dictātōre circumventī vix contrā ūnum exercitum pūgnam sustinēbant. Tum dēmum dictātōris exercitus novam pūgnam prō virīlī parte inībat: hostēs, quī quōmodo captī essent iam sēnsērunt, ā proeliō ad precēs versī, hinc dictātōrem hinc cōnsulem ōrāvērunt ut sē inermēs abīre sinerent. Dictātor ducem prīncipēsque vinctōs ad sē addūcī iussit: cēterīs licēre abīre, sed prīmum sub iugum eundum esse. Tribus hastīs iugum fit, humī fīxīs duābus superque eās trānsversā ūnā positā. Sub hoc iugum dictātor Aequōs mīsit. Triumphāns in urbem regressus, sextō decimō diē dictātūram abdicāvit.

Pēnsum.

i. Cūr senātus dictātōrem creāvit?
ii. Quō cōnsiliō lēgātī ad Cincinnātum missī sunt?
iii. Quid ille faciēbat?
iv. Quid illum ōrāvērunt?
v. Quid ille uxōrem rogāvit?
vi. Togā ab illō indūtā, quid lēgātī exposuērunt?
vii. Quid posterō diē Cincinnātus imperāvit?
viii. Quālēs omnēs in Campum Mārtium convēnērunt?
ix. Quō cōnsiliō Cincinnātus circum castra hostium īvit?

x. Sīgnō datō, quid omnēs fēcērunt?
xi. Quid cōnsul clāmōre audītō suīs imperāvit?
xii. Quid Aequī timēbant?
xiii. Quid iam victī ōrāvērunt?
xiv. Quid dictātor respondit?
xv. Dēscrībe iugum.

Ūndēvīcēnsima Lēctiō. *Iterātiō* (*tempore praesentī*).

I. Dē Larte Porsennā.

Tarquiniī exulēs Porsennam ōrant ut Rōmam oppūgnet et rēgnum sibi recipiat poenāsque dē Rōmānīs sūmat. Tandem eī persuādent ut arma capiat et sibi succurrat. Ille mīlitēs hortātus nē timeant, Rōmam advenit: senātus autem metuit nē perterritī cīvēs Tarquiniīs rēgnum reddant.

II. Dē Horātiō.

Hostibus appropinquantibus, Rōmānōs ā Iāniculō fugientēs Horātius ōrat ut sēcum maneant et pontem dēfendant: negantēs precātur ut pontem interrumpant: tum rogat quis sēcum hostibus resistere velit. Duōbus persuādet ut sibi adsint: hī trēs pontem trānseunt ut hostēs repellant. Parvā autem parte pontis relictā, comitibus imperat ut in tūtum sē recipiant. Hostēs alius aliī suādent ut in Horātium impetum faciant: undique tēla in eum cōniciunt eō cōnsiliō ut in flūmen eum dētrūdant. Tandem autem ipse, ponte omnīnō frāctō, Tiberim precātus ut sē et arma accipiat, incolumis ad suōs trānat. Sīc Etruscōs prohibet quōminus Rōmam capiant. Scītisne quī aliī Rōmānī tam fortia fēcerint?

III. Dē Mūciō Scaevolā.

Porsenna mīlitēs hortātur nē dē rēbus suīs dēspērent sed Rōmam obsideant. Obsessīs Rōmānīs, C. Mūcius, ut cōnsilium suum expōnat, senātum adit: patrēs rogant

cūr eō advēnerit, quid agī velit. Persuādet eīs ut cōnsilium approbent, et, mūcrōne intrā vestem abditō, ad castra hostium proficīscitur. Ibi, incertus uter sit rēx, scrībam prō rēge occīdit: inde fugientī cūstōdēs imperant ut ad tribūnal redeat: regressum rēx īrātus rogat quid facere voluerit: vīle esse corpus respondet eīs quī māgnam glōriam videant, et suā sponte dextram in flammās inicit. Rēx, cōnstantiam ēius admīrātus, imperat ut domum dīmittātur. Quem dīmissum mox lēgātī Rōmam sequuntur, quī condiciōnēs pācis ferant.

IV. Dē Cloeliā.

Pāce compositā eā condiciōne ut obsidēs ā Rōmānīs dentur, Porsenna tamen haud procul ā rīpīs Tiberis castra pōnit, nē Rōmānī condiciōnēs violent. Cloelia autem obsidibus suādet ut flūmine trānandō effugiant: multās ex eīs sēcum dūcit parentibusque restituit. Nēmō dubitāre potest quīn Cloelia haud minus fortis fuerit quam Cocles et Mūcius. Sed Porsenna ōrātōrēs Rōmam mittit quī imperent ut obsidēs reddantur. Redeuntēs hās Tarquiniī in itinere excipiunt, ut eās occīdant: timent enim nē pāx sit inter Porsennam et Rōmānōs, nēve ipsī nunquam iterum Rōmae rēgnent. Quō audītō Porsenna amīcitiam eōrum omnīnō rēicit: nōn enim dubitat quīn superbī īnfīdīque sint hominēs.

V. Dē Sēcēssiōne plēbis.

Senātus plēbī prōmittit lēgem sē bellō cōnfectō lātūrum esse ut mīlitēs aere aliēnō līberentur. Cum tamen senātus prōmissō nōn stet, plēbs ad Sacrum Montem sēcēdit. Senātōrēs incertī quid plēbs āctūra sit, nē impetum in urbem faciat timent: Menēnium Agrippam igitur mittunt quī plēbem plācet. Fābulā autem dē partibus corporis nārrātā, plēbī persuādet quam stulta fuerint membra.

Mox pāx compōnitur eā condiciōne ut plēbs duōs ex suīs tribūnōs creet, quibus liceat cōnsulēs ipsōs agere vetāre. Hīs condiciōnibus Menēnius plēbī persuādet ut Rōmam regrediātur.

VI. Dē Coriolānō.

Rōmānī, dum bellum contrā Volscōs gerunt, Coriolōs lēgātōs mittunt, quī incolās rogent num oppidum sibi trādere velint: illī negant sē velle. Tum Volscī Antiō adveniunt ad auxilium eīs ferendum, sed, oppidō ā C. Mārciō īgne incēnsō, prae clāmōribus oppidānōrum nesciunt quī Rōmānī, quī socīī suī sint. Oppidō captō, C. Mārciō cōgnōmen fit Coriolānō.

Rōmānī deinde, famē oppressī, incertī sunt quid faciendum sit: dēlīberatur in senātū quantī frūmentum plēbī emendum sit. C. Mārcius autem senātum monet nē ūllum frūmentum plēbī det: licēre enim eīs, ut anteā, quidquid in agrīs sit rapere. Plēbs igitur poscit ut Coriolānus ante iūdicēs accūsētur: quī, nē damnātus moriātur, in Volscōs exul abit, et benīgnē exceptus Rōmam tandem ipsam obsidet. Orātorēs ad eum missī, quī rogent ut pācem compōnat, atrōx respōnsum referunt. Postrēmō, mulieribus quibusdam ad castra appropinquantibus, ille rogat quī advēnerint: servus eī nūntiat, nisi sē frūstrentur oculī, mātrem illīus uxōremque et līberōs adesse. Veturia tamen vetat eum sēsē amplectī priusquam dīxerit utrum hostis sit an fīlius, ipsa māter an captīva. Deinde Coriolānus suōs amplexus castra ab urbe movet.

VII. Dē Fabiīs.

Rōmānīs in alia bella intentīs, Vēientēs agrōs eōrum vāstāre incipiunt: Fabiī senātum adeunt ut cōnsilium suum expōnant. Ōrant ut senātōrēs alia bella cūrent, Fabiōs hostēs Vēientibus dent. Quod rogant, impetrant;

Quīntus, dux gentis, gentīlēs suōs in Vēientēs dūcit. Vēientēs autem victī lēgātōs ad Fabiōs mittunt, quī pācem petant: rogant utrum illī pācem compositūrī sint an ipsōs occīsūrī. Pāce impetrātā, nōnnūllōs tamen impetūs faciunt ut praedam rapiant: Fabiī plērumque victōriam reportant. Aliquandō tamen in campum clausum, ut pecora quaedam rapiant, dēcurrunt: improvidī nōn reputant num hostēs cēlātōs inventūrī sint, neque certō sciunt quid illī agant. Īnsidiīs captī caeduntur omnēs ad ūnum.

VIII. Dē Cincinnātō.

Aequī in Latium invādunt, ut castra cōnsulis Rōmānī obsideant. Senātus igitur lēgātōs ad Cincinnātum mittunt, quī nūntient illum dictātōrem dictum fuisse: imperant eī ut togātus mandāta senātūs audiat. Quīnctius uxōrem rogat ubi togam suam reposuerit: tum togātō eī lēgātī expōnunt quid in castrīs acciderit, quī pavor sit in urbe, quid patrēs iubeant. Ille posterō diē imperat ut omnēs tabernae claudantur, et, quīcumque aetāte mīlitārī sint, armātī in Campō Mārtiō adsint: senibus ut cibum coquant imperat. Itinere factō, mediā nocte explōrat quālia castra hostēs fēcerint. Deinde mīlitibus imperat ut clāmōrem tollant, vāllōs humī fīgant, fossam vāllumque faciant. Prīmō cōnsul nescit unde clāmor vēnerit: mox suīs imperat ut arma capiant et sē sequantur. Ācriter ab Aequīs, quī timent nē obsessī Rōmānī per media sua castra ērumpant, pūgnātur. Intellegunt tandem quōmodo captī sint, et ōrant ut Rōmānī sē inermēs abīre sinant. Dictātor autem imperat ut dux prīncipēsque vinctī ad sē addūcantur: cēterī sub iugum missī abeant.

Pēnsum.

Scrībe praesentī tempore Lēctiōnēs XI, XIV.

Vīcēnsima Lēctiō. *Subiūncta Clausula in Ōrātiōne Oblīquā.* (*Gram.* 23.)

Incursiō Gallōrum. (A.U.C. CCCLXXXVII.)

Gallī, incursiōne in Italiam factā, cum Etruscōs māgnō proeliō fūdissent, Clūsium obsēdērunt. Clūsīnī, quamquam nūllam tum societātem cum Rōmānīs habēbant, lēgātōs, quī auxilium ā senātū peterent, Rōmam mīsēre. Auxilium nōn impetrātum est: lēgātī tamen M. Fabiī fīliī ā Rōmānīs missī sunt, quī senātūs populīque Rōmānī verbīs Gallōs admonērent nē sociōs populī Rōmānī, ā quibus nūllam iniūriam accēpissent, oppūgnārent. Gallī, cum mandāta senātūs in conciliō audīvissent, lēgātīs hoc respōnsum dedērunt: Gallōs pācem nōn āspernārī, sī Clūsīnī partem fīnium sibi concēssissent: aliter pācem impetrārī nōn posse. Hoc cum respondissent, incēnsīs utrimque animīs, ad arma concurrunt et proelium committunt. Lēgātī autem Rōmānī nōn Rōmam redeunt, sed contrā iūs gentium arma capiunt. Tum Gallī, cum eōs in proeliō āgnōvissent, lēgātōs Rōmam mīsērunt petītum ut Fabiī, quī iūs gentium violāvissent, sibi redderentur: hī nōn modo nōn redditī sed ā plēbe tribūnī mīlitum creātī sunt.

Proximō annō Gallī īrā incēnsī, āgmine longē lātēque per agrōs fūsō, iter Rōmam ingrediuntur. Incrēdibilī celeritāte ad ūndecimum lapidem convēnērunt, ubi Allia flūmen Tiberīnō amnī iungitur. Ibi Rōmānī longam aciem in cornua īnstrūxerant, nē multitūdine hostium circumvenīrentur. A dextrā erat collis, ubi subsidiāriōs collocāverunt. Quō vīsō, Brennus, rēgulus Gallōrum, veritus est nē Rōmānī eō cōnsiliō superiōrem locum occupāvissent, ut in āversōs suōs impetum darent: sīgnīs subitō in subsidiāriōs conversīs, ūnō impetū collem cēpit.

A sinistrō cornū Rōmānī, cum hostēs collem cēpisse et suōs fugere cōnspexissent, nūllō temptātō certāmine perterritī fūgērunt: hōrum in pugnā nūlla erat caedēs, sed, cum ad Tiberim armīs abiectīs fugientēs advēnissent et natandō trānsīre cōnārentur, plūrimī natandī imperītī flūviō absūmptī sunt. Eī quī supererant Vēiōs perfūgērunt: unde nōn modo subsidium sed nē nūntium quidem clādis Rōmam mīsērunt. A dextrō cornū omnēs, cum ā colle fūgissent, Rōmam petiēre: quō cum advēnissent, nē clausīs quidem urbis portīs in arcem perfūgērunt.

PĒNSUM.

Dēscrībe:

i. rēs ā Clūsīnīs āctās.
ii. lēgātiōnem ā Rōmānīs ad Gallōs missam.
iii. iūs gentium violātum.
iv. aciēs prope Alliam īnstructās et cōnsilia ducum.
v. fugam Rōmānōrum.

ŪNA ET VĪCĒNSIMA LĒCTIŌ. *Clausula Cōnsecūtīva.* (*Gram.* 28 c.)

Rōma capta. (A.U.C. CCCLXXXVII.)

Gallī quoque prīmum, mīrāculō victōriae tam repentīnae obstupefactī, nesciēbant quid accidisset: deinde adeō fraudem timēbant ut Rōmānōs persequī nōn audērent: postrēmō, cum hostēs nusquam appārērent, viam ingressī haud multō ante sōlis occāsum ad urbem Rōmam pervēnērunt. Equitēs, quōs praemīserant, portās nōn clausās, prō portīs nūllam esse statiōnem, renūntiāvērunt. Noctem tamen inter Rōmam et Aniēnem cōnsēdēre; adeō enim īnsidiās metuēbant ut in urbem intrāre nōn audērent. Tum dēmum explōrātōrēs circum moenia aliāsque portās missī sunt quī hostium cōnsilia cōgnōscerent.

Ex Rōmānīs eī quī ad arcem fūgerant nihil audierant dē eīs quī ex aciē Vēiōs petierant: nūllōs ex eīs superesse

crēdēbant. Tantus etiam pavor eōs tenuit ut diem noctemque, impetum hostium exspectantēs, mūrīs tēcti sedērent. Senēs autem cōnsulārēs adeō Gallōs contemnēbant ut nōn fugerent, sed īnsīgnibus vestītī in urbe ipsā manentēs prō patriā sēsē vovērent. Cēterī, nē iuvenēs frūmentō careant, oppida propinqua petunt.

Tertiō diē Gallī, per patentem Collīnam portam ingressī, in forum perveniunt. Inde, dum per viās praedam petentēs vagantur, senēs illōs dīs simillimōs in vestibulīs suārum quemque aedium sedentēs cōnspiciunt. Gallum quemdam, dum barbam M. Papīrī permulcēre cōnātur, ille scīpiōne eburneō percussit: ab eō initium caedis ortum est: cēterī in sēdibus suīs occīsī: nēminī parcitur, dīripiuntur omnia, tēctīs īniciuntur īgnēs. Rōmānī, ex arce plēnam hostibus urbem et omnia sua in hostium potestāte cōnspicātī, adeō nōn flexērunt animōs ut usque ad mortem Capitōlium ipsum virtūte dēfendere cōnstituerent.

Gallī quoque, cum hostēs sēsē nōn dēderent, impetum in arcem facere cōnstituunt. Tandem clāmōre sublātō et testūdine factā subeunt. Rōmānī tamen tantā virtūte restitērunt ut hostēs identidem repellerent. Repulsī obsidiōnem parant.

Pēnsum.

i. Quid fēcērunt Gallī post proelium Alliēnse?
ii. Cūr Gallī nōn statim Capitōlium oppūgnāvērunt?
iii. Quōmodo erant Rōmānī distribūtī?
iv. Dēscrībe senēs occīsōs.
v. Dēscrībe Capitōlium oppūgnātum.

Altera et Vīcēnsima Lēctiō. *Clausulae Condiciōnālēs.* (*Gram.* 28 e.)

Camillus. (A. u. c. CCCLXXXVII.)

Tanta fuit inopia frūmentī ut pars Gallōrum per fīnitimōs populōs ad praedandum mitterentur; nōnnūllī

forte Ardeam pervēnērunt, ubi accidit ut Camillus exulāret. Ille enim Vēiīs captīs, dē spoliīs distribuendīs accūsātus, sponte suā eō in exilium Rōmā discēsserat. Fortasse sī tunc dux Rōmānōrum fuisset, Gallī ad portās urbis nōn pervēnissent. Sēcum autem ita loquēbātur :— 'Ubi sunt illī virī quī mēcum Vēiōs cēpērunt? Hodiē sī mēcum essent, Gallōs repellere possēmus. Utinam illōs Rōmānōs nunc dūcerem!' Haec dum cōgitat, repente audit Gallōrum exercitum advenīre. Tum in mediō cīvium conciliō tālem ōrātiōnem habuit :—

'O Ardeātēs, cīvēs nunc meī, Gallī Rōmā discēssērunt et per agrōs vestrōs vagantur: cibō vīnōque victī prope rīpās flūminis sine mūnīmentō, sine statiōnibus, ferīs similēs iacent. Sī vigilārent, fortasse difficile esset eōs vincere; sed nōn vigilant, prīmā vigiliā igitur capite arma, et mē sequiminī! Quod sī faciētis, ad caedem nōn ad proelium vōs dūcam. Sīn hāc nocte effugere eōs sīveritis, crās regressī oppidum vī et armīs oppūgnābunt. Occāsiōnem datam praeripite.'

Conciliō dīmissō, Ardeātēs intentī exspectābant quam brevī sīgnum darētur: quō datō, prīmae silentiō noctis ad portās parātī fuēre. Ēgressī, haud procul urbe castra Gallōrum, sīcut Camillus dīxerat, intūta incūstōdītaque inveniunt: ingentī clāmōre invādunt: nusquam proelium, ubīque caedēs est: nūda corpora et somnō victa occīduntur. Utinam omnēs Rōmānī similēs Camillī fuissent! Ardeātēs enim, nisi ab illō dūctī essent, nōn sīc Gallōs vīcissent.

Pēnsum.

i. Quōmodo Camillus Ardeam vēnerat?
ii. Cūr Gallī prope Ardeam erant?
iii. Quid Camillus sēcum loquēbātur?
iv. Quid Ardeātibus dīxit?
v. Quōmodo Gallōs vīcit?

Tertia et Vīcēnsima Lēctiō. *Grammatica Varia.* (*Gram.* 26 b, 30.)

Capitōlium oppūgnātum.

Interim Rōmānī Vēiōs frequentēs conveniēbant: tandem tempus adesse vidēbātur patriae hostibus ēripiendae, sed corporī validō dēerat caput. Omnibus placuit Camillum ab Ardeā revocātum dictātōrem dīcere, sed anteā senātus, quī Rōmae erat, cōnsulendus fuit. Māgnō cum perīculō Pontius Cominius, audāx iuvenis, corticī incubāns secundō Tiberī ad urbem dēlātus est. Accidit ut ex hāc parte urbis ascēnsus ad arcem tam praeceps esset ut ab hostium cūstōdibus neglegerētur. Pontius, cum hāc viā ascendisset, senātūs cōnsultum accēpit ut dictātor extemplō dīcerētur, mīlitēsque habērent dictātōrem quem vellent. Tum eādem viā ēgressus Vēiōs rediit: statim lēgātī Ardeam missī sunt quī Camillum peterent.

Haec dum Vēiīs geruntur, interim arx Rōmae Capitōliumque in ingentī perīculō fuit. Namque vestīgiīs Pontī ā Gallīs cōnspectīs, manifēstum erat, quā ūnus ascendisset, eā multōs ascendere posse; neque dubitābant Gallī quīn arcem brevī capere possent. Cōnsiliō initō, nocte obscūrā prīmum ūnum inermem quī viam temptāret praemīsērunt; tum cēterī, dum alius aliī arma, nē sonitum ēderent, sūrsum trādunt, tantō silentiō ad summam arcem pervēnērunt ut nōn cūstōdēs sōlum fallerent sed nē canēs quidem excitārent. Ānserēs tamen nōn fefellēre: accidit enim ut ānserēs quīdam, Iūnōnī sacrī, in Capitōliō alerentur. Quae rēs haud dubium est quīn Rōmānīs salūtī fuerit; sonitū enim Gallōrum ascendentium audītō, ānserēs statim crepitum ingentem ālīs facere coepērunt. Crepitū excitātus est M. Manlius: quī, armīs captīs et cēterīs ex somnō excitātīs, ipse sōlus ad locum it et, dum cēterī cessant, Gallum, quī in summō saxō cōnstiterat,

scūtō praecipitem dēicit. Ille dēlāpsus ita proximōs fundit ut armīs omissīs saxa manibus prehendant. Iamque alīī Rōmānī tēlīs et saxīs dēsuper iactīs hostēs prōturbant, adeō ut omnēs in praeceps dēferantur. Inde ēvēnit ut Gallī, victōriā dēspērātā, de pāctō iam dēlīberārent.

Pēnsum.

i. Quōmodo Pontius Rōmam pervēnit et intrāvit?
ii. Quāle senatūs cōnsultum accēpit?
iii. Dēscrībe perīculum quō Rōma addūcta est.
iv. Dēscrībe āscēnsum Gallōrum.
v. Dēscrībe pūgnam inter saxa commissam.

Quārta et Vīcēnsima Lēctiō.

Gallī victī.

Namque ante omnia obsidiōnis bellīque mala famē uterque exercitus opprimēbātur, Gallī etiam tantā pestilentiā ut cumulāta corpora combūrenda essent. Itaque inter ducēs colloquium fit. Gallī quidem, quod Rōmānī famē opprimerentur, ad dēditiōnem eōs vocābant, illī tamen, ut Gallōs fallerent, multīs locīs pānem dē Capitōliō in hostium statiōnēs dēiēcērunt: diem enim dē diē spērābant dictātōrem exercitum sibi auxiliō dūctūrum esse. Tandem cum neque dissimulārī neque ferrī ultrā famēs posset, Gallīs se aurum datūrōs pollicentur eā condiciōne ut obsidiōnem relinquant: sīc inter eōs convenit. Sed pondera ā Gallīs ad aurum pendendum allāta inīqua erant, et tribūnō recūsante Gallus quīdam, gladiō ponderī additō, insolenter exclāmāvit 'Vae victīs'. Rēs iterum in summum discrīmen addūcta erat, cum dictātor, quī Rōmam tandem pervēnerat, in forum prōgressus imperāvit ut aurum et pondera dē mediō summovērentur; sē enim dictātōrem esse, neque ratum esse ūllum pāctum quod iniussū suō factum esset: Gallī ad proelium sē

parent : Rōmānōs ferrō nōn aurō bellum gerere. Statim ab utrīsque ad arma discurritur. Gallī magis īrā quam cōnsiliō impetum in Rōmānōs faciunt : ācriter pūgnātum est. Sed mox Gallī facilius victī sunt quam anteā ad Alliam vīcerant. Fūsī ad octāvum lapidem Gabīnā viā fugiunt, ubi iterum proeliō contenditur. Quō proeliō Gallīs ferō ad ūnum caesīs, dictātor, patriā recuperātā, triumphāns in urbem redit, et parēns patriae conditorque alter urbis salūtātur.

Pēnsum.

Dēscrībe pestilentiam, famem, pāctum, Camillī adventum.

EXERCITĀTIŌNĒS GRAMMATICAE

Prīma Lēctiō.

I. Hās sententiās per participium in sīngulās compōne:

i. Geminī prope flūmen expositī sunt: ibi ā lupā inventī sunt.

ii. Geminī prope flūmen expositī sunt: ibi lupa eōs invēnit.

iii. Lupa geminōs invēnit; deinde eōs nūtrīvit.

iv. Praedam ā latrōnibus rapuērunt: deinde inter sociōs eam dīvidērunt.

v. Pāstor geminōs invēnit: deinde eōs ēducāvit.

vi. Remus a latrōnibus captus est: deinde ad Amūlium dūctus est.

vii. Latrōnēs Remum cēpērunt: deinde ad Amūlium dūxērunt.

viii. Ad Amūlium dūctus est et capitis damnātus est.

ix. Iūdicēs eum damnāvērunt sed Amūlius eī pepercit.

x. Ad Amūlium latrōnēs eum dūxērunt: posteā iūdicēs eum damnāvērunt.

xi. Latrōnēs rēgem advocāvērunt: eī pāstor tōtam rem aperuit.

xii. Rōmulus et Remus Amūlium oppūgnāvērunt et occīdērunt.

II. Hās sententiās per coniūnctiōnem cum in sīngulās compōne:

i. Lupa ad flūmen dēscendit: geminōs prope rīpam invēnit.

ii. Pāstor in silvam iniit: puerōs ibi invēnit.

iii. Puerōs in silvā invēnit: deinde domum rediit.

iv. Pāstor domum rediit: puerōs uxōrī trādidit.

v. Puerī in montēs āscendērunt: ibi in latrōnēs impetūs fēcērunt.

vi. Praedam rapuērunt: deinde ad suōs cōnfūgērunt.

vii. Pāstor ad rēgem festīnāvit et rem eī aperuit.

viii. Pāstor rem aperuit: deinde avus nepōtem āgnōvit.
ix. Amūlius multōs annōs rēgnāvit: tandem occīsus est.
x. Diū frātrēs apud pāstōrem habitāvērunt: tunc Amūlium occīdērunt.

III. Hās sententiās compōne aut per participium aut per coniūnctiōnem cum:
i. Puer epistolam scrīpsit et ad magistrum mīsit.
ii. Puerī ad lūdum īvērunt: ibi multās rēs ēgērunt.
iii. Magister intrāvit et puerōs salūtāvit.
iv. Puerōs salūtāvit: deinde docēre eōs incēpit.
v. Magister puerōs dīmīsit et domum abiit.
vi. Puerī ad lūdum rediērunt et in campō sē exercēbant.
vii. Puerī domum rediērunt et cēnāvērunt.
viii. Magister pēnsa corrēxit: postrīdiē puerīs ea reddidit.
ix. Magister puerōs salūtāvit: deinde fābulam eīs nārrāvit.
x. Caesar in Gallōs contendit: māgnam victōriam reportāvit.

Secunda Lēctiō.

IV. Hās sententiās in sīngulās per participium compōne:
i. Stant frātrēs in monte: vulturēs ēnumerant.
ii. Rōmulus in Palātīnō stābat: caelum spectābat.
iii. Rōmulum et Remum, dum fugiunt, latrōnēs cēpērunt.
iv. Rōmulus moenia sīgnābat: frāter eum cōnspexit.
v. Rōmulus, dum dē monte dēscendit, tōtām urbem ante sē vīdit.
vi. Remus moenia dērīdēbat: frāter eum occīdit.
vii. Remus dum moenia trānsilit ā frātre occīsus est.
viii. In castra Rōmānī impetum faciēbant: hostēs eīs restitērunt.
ix. Avēs in caelō volābant: Rōmulus eōs ēnumerāvit.
x. Māgnam urbem Rōmulus condit: omnibus populīs urbs mox imperābit.

V. Scrībe sententiās per coniūnctiōnem (aut cum aut dum) compositās:
i. Ad urbem rediēns exercitus hostēs cōnspicit.

ii. Fugientibus hostibus nūntius obviam vēnit.
iii. Cōnspectōs hostēs Rōmānī statim oppūgnāvērunt.
iv. Moenia sīgnantem Rōmulum frāter cōnspexit.
v. Aedificātam urbem Rōmulus multīs templīs ornāvit.
vi. Captōs hostēs ad urbem carmina canentēs dūcunt.
vii. Rēx ā frātribus oppūgnātus statim occīsus est.
viii. Lūdōs spectantī populō rēx mīrāculum ostendit.
ix. Apud pāstōrem habitāns multās rēs gessit.
x. Rōmānīs prīmō impetū repulsīs diū resistēbant hostēs.

Tertia Lēctiō.

VI. Disiunge in bīnās sententiās :—
i. Amūlius, Numitōre expulsō, rēgnum occupāvit.
ii. Geminīs expositīs, lupa ad aquam dēscendit.
iii. Lupa, īnfantibus inventīs, ad silvās rediit.
iv. Remō damnātō, pāstor rem aperuit.
v. Numitor, Remō āgnitō, Amūlium occīdit.
vi. Numitōre Albae Longae rēgnante, Amūlius rēgnum occupāvit.
vii. Lupā ad aquam dēscendente, īnfantēs exclāmāvērunt.
viii. Remō mortem exspectante, pāstor rem aperuit.
ix. Remō moenia dērīdente, Rōmulus īrātus est.
x. Rōmulō rēge, urbs indiēs crēscēbat.

VII. In eīsdem sententiīs prō participiō scrībe clausulam.

VIII. Scrībe sīngulās sententias per participium compositas :—
i. Amūlius rēgnum occupāvit: servōs geminōs expōnere iussit.
ii. Lupa clāmōrēs audīvit: īnfantēs invēnit.
iii. Latrōnēs praedam rapuerant: domum redībant.
iv. Pāstōrēs in latrōnēs impetūs fēcērunt: Rōmulus et Remus ducēs eōrum erant.
v. Latrōnēs Remum cēpērunt: ad Numitōrem iērunt.
vi. Latrōnēs per silvās ībant: nūntius ad frātrēs īvit.
vii. Pāstor rem aperuit: avus nepōtem āgnōvit.
viii. Numitor, postquam Amūlium occīdit, iterum rēgnāvit.

ix. Rōmulus, cum frātrem interfēcisset, sōlus rēgnum occupāvit.
x. Rōmulus, ubi rēgnum occupāvit, māgnam urbem condidit.
xi. Cum Rōmulus rēgnum occupāvisset, urbs indiēs crēscēbat.
xii. Urbs indiēs crēscēbat: Rōmulus senātum creāre cōnstituit.
xiii. Cum Rōmulus senātum creāvisset, multae lēgēs lātae sunt.
xiv. Geminī apud pāstōrem habitābant: latrōnēs praedam cottīdiē rapiēbant.
xv. Numitor Albae Longae rēgnābat: geminī novam urbem condidērunt.
xvi. Rōmulus moenia sīgnābat: Remus advēnit.
xvii. Dum moenia surgunt, Remus frātrem dērīsit.
xviii. Dum urbs crēscit, Rōmulus tot hominēs regere nōn poterat.

Quārta Lēctiō.

IX. Prō participiō scrībe clausulam:—
i. Lēgātī Rōmam regressī respōnsum gentium nūntiāvērunt.
ii. Rōmulus tantam contumēliam passus callidum cōnsilium iniit.
iii. Rōmulus haec verba locūtus lūdōs parāvit.
iv. Sabīnī Rōmam profectī dē lūdīs colloquēbantur.
v. Lēgātōs Rōmam regressōs Rōmānī interrogāvērunt.
vi. Rōmānōs tantam contumēliam passōs fīnitimae gentēs dērīsērunt.
vii. Sabīnōs Rōmam profectōs Rōmānī exspectābant.
viii. Lēgātīs Rōmam regressīs, iuvenēs īrātī sunt.
ix. Sabīnīs Rōmam profectīs Rōmānī nūntiōs obviam mīsērunt.
x. Rōmulō Sabīnās cōnsōlātō, iuvenēs eās in mātrimōnium dūxērunt.

X. Scrībe sīngulās sententias per participium compositas:—
i. Rōmānī contumēliam passī sunt: lūdōs parāvērunt.
ii. Omnēs urbem admīrātī sunt: ad lūdōs convēnērunt.

iii. Rōmulus dulcibus verbīs ūsus est: Sabīnae eum laudāvērunt.
iv. Rōmulus dulcibus verbīs ūsus est: Sabīnae contentae erant.
v. Rōmulus suōs hortātus est: lūdī parātī sunt.
vi. Rōmānī, cum Sabīnōs ad lūdōs secūtī essent, sīgnum exspectābant.
vii. Iuvenēs, cum Sabīnās amplexī essent, domum eās abstulērunt.
viii. Sabīnae Rōmānōs, cum haec verba locūtī essent, secūtae sunt.
ix. Cum omnēs Rōmam admīrātī essent, lūdī inceptī sunt.
x. Rōmulus Sabīnās cōnsōlātus est: deinde in mātrimōnium eās iuvenibus dedit.

XI. Scrībe sīngulās sententias per participium compositas :—
i. Sabīnae virōs comitābantur: Rōmam pervēnērunt.
ii. Virginēs urbem admīrābantur: iuvenēs illās admīrābantur.
iii. Lēgātī Rōmam regrediēbantur: sōl occidit.
iv. Sabīnae, dum urbem admīrantur, nihil timēbant.
v. Sabīnī, dum virginēs eōs comitantur, ad lūdōs īvērunt.
vi. Sabīnī arma repōnunt: Rōmam proficīscuntur.

XII. Scrībe sex sententiās in quibus adhibētur vel praesēns vel praeteritum participium Verbī Depōnentis (i) cum obiectō concordāns, (ii) cum subiectō concordāns, (iii) Ablātīvus Absolūtus.

XIII. In eīsdem sententiīs prō participiō scrībe clausulam.

ITERĀTIŌ.

XIV. Scrībe bīnās sententiās:—
i. Sabīnī Rōmam venientēs dē lūdīs colloquēbantur.
ii. Gentēs ā Rōmulō invītātae Rōmam profectae sunt.
iii. Sabīnī dēposita arma domī relīquērunt.
iv. Sabīnī, armīs domī relictīs, Rōmam convēnērunt.
v. Sabīnīs spectantibus, clāmor subitō sublātus est.

vi. Urbem vīsam omnēs laudāvērunt.
vii. Urbe ā Sabīnīs vīsā, Rōmulus eōs ad lūdōs dūxit.
viii. Rōmulus dūctās ad sē virginēs cōnsōlātus est.
ix. Sabīnōs ad lūdōs euntēs Rōmānī salūtāvērunt.
x. Omnibus lūdōs spectantibus, Rōmulus sīgnum dedit.
xi. Sīgnō ā Rōmulō datō, iuvenēs surrēxērunt.
xii. Rōmulō Sabīnās cōnsōlātō, Rōmānī eās in mātrimōnium dūxērunt.

XV. In eīsdem sententiīs prō participiō scrībe clausulam.

XVI. Scrībe sīngulās sententias per participium compositas:
i. Rōmānī, dum ad urbem redeunt, in īnsidiās incidunt.
ii. Rōmulus senātum cōnsuluit: lēgātōs circā gentēs mīsit.
iii. Senātus cōnsilium dedit: lēgātī id audīvērunt.
iv. Dum lēgātī circā gentēs eunt, rēs parāta est.
v. Postquam gentēs respōnsum dedērunt, lēgātī Rōmam rediērunt.
vi. Rōmānī Sabīnās rapere ausī sunt: posteā in mātrimōnium eās dūxērunt.
vii. Rōmulus senātōrēs, cum eōs convocāvisset, cōnsuluit.
viii. Lēgātī circā gentēs missī sunt: gentēs contumēliam eīs īnferunt.
ix. Rōmānī Sabīnās rapere ausī sunt; Sabīnī īrātī sunt.
x. Senātōrēs, cum Rōmulus eōs convocāvisset, cōnsilium dedērunt.
xi. Lēgātōs, dum circā gentēs eunt, omnēs spernunt.
xii. Rōmānī, cum respōnsum gentium audīvissent, īrātī sunt.

XVII. Compōne hās sententiās per participium, vel, sī id fierī nōn potest, per clausulam:—
i. Lēgātī Rōmam regressī sunt: Rōmānī īrātī sunt.
ii. Lēgātī Rōmam rediērunt: Rōmānī īrātī sunt.
iii. Rōmulus contumēliam accipit: callidum cōnsilium init.
iv. Rōmulus contumēliam patitur: callidum cōnsilium init.

v. Sabīnī Rōmam proficīscuntur: tōtum diem iter fēcērunt.
vi. Sabīnī Rōmam vēnērunt: lūdōs spectāvērunt.
vii. Sabīnī urbem laudant: ad lūdōs eunt.
viii. Sabīnī urbem admīrātī sunt: ad lūdōs eunt.
ix. Sabīnī cōnsēdērunt: lūdōs spectāvērunt.
x. Sabīnae lūdōs spectant: subitō Rōmānī eās rapiunt.

Quīnta Lēctiō.

XVIII. Scrībe ipsa verba eōrum quī loquuntur:—
i. Rēx dīxit rēgnum suum esse, nōn Numitōris.
ii. Geminī negāvērunt sē lupōs vēnārī velle.
iii. Remus negāvit sē latrōnem esse.
iv. Numitor dīxit captīvum esse suum nepōtem.
v. Rōmulus clāmāvit duodecim sē vulturēs vidēre.
vi. Remus dīxit moenia parva et īnfirma esse.
vii. Rōmulus sēnsit urbem indiēs crēscere.
viii. Rōmulus putāvit mulierēs Rōmae dēesse.
ix. Rōmulus negāvit satis mulierum Rōmae esse.
x. Gentēs vīcīnae affirmāvērunt Rōmānōs servōs esse.
xi. Rōmānī putāvērunt māgnam sē contumēliam patī.
xii. Rōmulus nūntiāvit lūdōs sē Rōmae parāre.
xiii. Iuvenēs putāvērunt virginēs pulcherrimās esse.
xiv. Iuvenēs putāvērunt pulcherrimās sē uxōrēs habēre.
xv. Sabīnī dīxērunt īnfīdōs esse Rōmānōs.
xvi. Raptae Rōmulō respondērunt velle sē Rōmānīs nūbere.
xvii. Tarpēia Sabīnīs dīxit sē armillās illōrum admīrārī.
xviii. Sabīnī prīmō Tarpēiae negāvērunt sē armillās illī dare velle.
xix. Sabīnī, dum clipeōs in Tarpēiam iaciunt, dīxērunt sē prōmissō stāre.
xx. Inter omnēs cōnstat prōditōrēs patriae morī dēbēre.

XIX. Verte in Praedicātiōnem Oblīquam:—
i. Pāstor 'Audiō' inquit 'vōcēs īnfantium'.
ii. Uxor pāstōris 'Geminōs' inquit 'ēducāre volō'.
iii. Latrōnēs 'Remus' inquiunt 'latrō est'.
iv. Pāstor 'Remus' inquit 'Numitōris nepōs est'.
v. Geminī 'Urbem' inquiunt 'condere volumus'.

vi. Remus Rōmulō 'Tū' inquit 'moenia sīgnāre dēbēs'.
vii. Remō occīsō, Rōmulus 'Sōlus' inquit 'rēx sum'.
viii. Rōmulus 'Tot' inquit 'et tam variōs regere nōn possum'.
ix. Rōmānī 'Nōn satis' inquiunt 'mulierum habēmus'.
x. Gentēs fīnitimae 'Nōlumus' inquiunt 'cōnūbium Rōmānīs dare'.
xi. Lēgātī Rōmanīs 'Gentēs' inquiunt 'cōnūbium vōbīs dare nōlunt'.
xii. Rōmulus gentibus nūntiāvit: 'Lūdī Rōmae parantur'.
xiii. Sabīnī Rōmānīs 'Pulchram' inquiunt 'urbem habētis'.
xiv. Sabīnī 'Rōmam' inquiunt 'admīrāmur'.
xv. Sabīnī 'Bellum' inquiunt 'Rōmānīs īnferre volumus'.
xvi. Rōmulus raptīs 'In culpā' inquit 'est patrum vestrōrum contumēlia'.
xvii. Tarpēia 'Armillās pulchrās' inquit 'habent Sabīnī'.
xviii. Tarpēia Sabīnīs 'Armillās vestrās' inquit 'possidēre cupiō'.
xix. Tarpēia Sabīnīs 'Portam' inquit 'vōbīs reclūdere volō'.
xx. Tarpēia 'Clipeōs' inquit 'nōn armillās accipiō'.

Sexta Lēctiō.

XX. Verte in Praedicātiōnem Rēctam id quod mātrōnae convocātae inter sē dīcēbant (ā vocābulō 'Sabīnōs' usque ad 'occīdī').

XXI. Verte in Praedicātiōnem Oblīquam:

Mātrōnae inter aciēs īnstructās veniunt.

Rōmānī (*inter sē loquentēs*). Adveniunt uxōrēs nostrae: līberōs nostrōs in sinū portant: et uxōrēs et līberōs amāmus: sed Sabīnīs socerīs nostrīs īrāscimur: nōs enim occīdere et uxōrēs nostrās auferre in animō habent. Illae fortasse cōnsilium pācis compōnendae habent.

Sabīnī (*inter sē*). Fīliās nostrās āgnōscimus: Rōmānae

mātrōnae nunc sunt: nōs igitur avī sumus et nunc prīmum nepōtēs nostrōs vidēmus: fīliās et nepōtēs amāmus sed Rōmānōs occīdere volumus.

Mātrōnae (*Rōmānōs alloquentēs*). Vōs amāmus: līberōs vestrōs tenēmus: Sabīnī sunt hōrum avī, vestrī socerī, nostrī patrēs: nōlumus orbae esse: nōlumus eōs occīdī.

(*Sabīnōs alloquentēs.*) Nōs amātis: vidētis līberōs nostrōs, vestrōs nepōtēs: Rōmānī sunt hōrum patrēs, vestrī generī, nostrī virī: eōs amāmus neque vōs eōs occīdere volumus: nōlumus enim viduae esse.

Sabīnī. Nepōtēs nostrī nōs āgnōscunt: bracchia ad nōs tendunt: illōrum patrēs occīdere nōn possumus: pūgnāre nōlumus.

Omnēs. Gaudēmus et pācem compōnere volumus.

Septima Lēctiō.

XXII. Verte in Praedicātiōnem Rēctam:—

i. Apud Līvium invenīmus lupam geminōs nūtrīvisse.
ii. Ferunt eōs ā pāstōre et uxōre ēius ēducātōs esse.
iii. Cōnstat inter omnēs eōs Rheae Silviae fīliōs fuisse.
iv. Apud Līvium invenīmus eōs Amūlium occīdisse.
v. Ferunt Rōmulum duodecim, Remum sex, vulturēs vīdisse.
vi. Rōma dīcitur ā Rōmulō condita esse.
vii. Fāma est Remum mūrum trānsiluisse.
viii. Inter omnēs cōnstat illum ā Rōmulō occīsum esse.
ix. Manifēstum est Tarpēiam armillās Sabīnōrum admīrātam esse.
x. Rōmānī dīcuntūr virginēs Sabīnās rapuisse.

XXIII. Verte in Praedicātiōnem Oblīquam post apud Līvium invenīmus vel similem locūtiōnem:—

i. Gentēs fīnitimae cōnūbium Rōmānīs dare nōluērunt.
ii. Lūdī ā Rōmulō parātī sunt.
iii. Multae gentēs Rōmam convēnēre.
iv. Sabīnī urbem admīrātī sunt.
v. Urbem admīrātī ad lūdōs iērunt.
vi. Lūdōs spectantēs plausērunt.
vii. Ā iuvenibus Rōmānīs virginēs raptae sunt.
viii. Parentēs inermēs fūgērunt.

ix. Causa bellī erat contumēlia Sabīnōrum.
x. Fraude Capitōlium ā Sabīnīs captum est.
xi. Sabīnī et Rōmānī ūnus factī sunt populus: hī in Palātīnō habitābant, illī Capitōlīnum et Quirīnālem incolēbant: in valle rēgēs duo conveniēbant: tandem, Titō Tatiō mortuō, Rōmulus ambārum gentium rēx acceptus est. Patrēs eō tempore īnfantēs expōnere solēbant. Rōmulus id fierī vetuit, et parricīdiō gravissimās poenās īnstituit.

Octāva Lēctiō.

XXIV. Verte in Praedicātiōnem Rēctam:—
i. Tarquinius dīxit multās gentēs ā sē victās esse.
ii. Facile esse Gabiōs capere affirmāvit.
iii. Negāvit Gabīnōs sibi resistere posse.
iv. Sextus dīcitur minimus fuisse nātū.
v. Putāvit sē Gabīnōs facile dēcipere posse.
vi. Dīxit frātrēs suōs sē percussisse.
vii. Gabīnīs dīxit multa beneficia illōs ā sē accipere posse.
viii. Rōmā sē ā patre expulsum esse affirmāvit.
ix. Hostēs crēdidērunt illum vēra sibi dīxisse.
x. Sextus dīcitur eōs fefellisse.

XXV. Verte in Praedicātiōnem Oblīquam:—
i. Sextus 'Nōlō' inquit 'vōs, Ō Gabīnī, fallere'.
ii. 'Bellum contrā Rōmānōs gerere volō.'
iii. 'Multa beneficia vōbīs dēferō.'
iv. Sextus, ut ferunt, māgnam auctōritātem habēbat.
v. Servus, ut apud Līvium invenīmus, ad patrem mīssus est.
vi. Pater 'Fortasse' inquit 'nūntius īnfīdus est'.
vii. 'Hostēs tālēs īnsidiās parāre solent.'
viii. Nūntius 'Tarquinius' inquit 'nūllam vōcem ēdidit'.
ix. 'Summa papāverum capita dēcussit.'
x. Sextus, ut manifēstum est, iussa patris intellēxit.

Nōna Lēctiō.

XXVI. Verte in Praedicātiōnem Rēctam:—
i. Sabīnī dīxērunt sē proelium cum Rōmānīs commissūrōs esse.
ii. Sabīnae spērāvērunt sē pācem compositūrās esse.

iii. Crēdidērunt aut viduās sē aut orbās futūrās.
iv. Sextus patrī prōmīsit Gabīnōs se superātūrum.
v. Rōmānī spērābant bellum brevī cōnfectum īrī.
vi. Duōbus Rōmānīs caesīs tertius spērāvit trēs sē Albānōs occīsūrum.
vii. Tullus Hostīlius crēdidit omnēs gentēs ā sē victum īrī.
viii. Plēbs spērāvit Servium Tullium multa beneficia sibi datūrum.
ix. Tribus librīs combūstīs anus dīxit sex eōdem pretiō sē venditūram esse.
x. Rēx negāvit tantam pecūniam ā sē datum īrī.

XXVII. Verte in Praedicātiōnem Oblīquam:—

i. Tarquinius Superbus 'Facile' inquit 'Gabiōs capiam'.
ii. Gabīnī 'Summā vī' inquiunt 'Rōmānōs repellēmus'.
iii. Sextus 'Callidum cōnsilium' inquit 'inībō'.
iv. 'Falsam fābulam' inquit 'Gabīnīs nārrābō'.
v. 'Verbīs meīs' inquit 'dēcipientur'.
vi. Superbus 'Gabīnī' inquit 'ā mē vincentur'.
vii. Sextus Gabīnīs 'In Rōmānōs' inquit 'bellum geram'.
viii. Sextus 'Līterae' inquit 'ā nūntiō patrī trādentur'.
ix. Pater 'Fīlius meus' inquit 'respōnsum meum intelleget'.
x. 'Iussa mea' inquit 'manifēsta eī erunt'.

Decima Lēctiō.

XXVIII. Scrībe ipsa verba loquentium:—

Sextus ducibus dīxit hostēs pūgnam committere metuere: vesperī igitur hospitiō sē illōs exceptūrum esse.

Dum mēnsae accumbunt et uxōrēs suam quisque laudant, Collātīnus affirmāvit Lucrētiam semper sibi fidēlem fuisse: omnēs Rōmānās mātrōnās eam admīrārī: domī enim manēre, diem noctemque opera domestica cūrāre. Verbīs tamen nōn opus esse: reī crēdendum esse.

Statim omnēs clāmant equīs sē Rōmam petītūrōs esse.

XXIX. Verte in Praedicātiōnem Oblīquam:—

Extrā Ārdeam.

Centuriō I. Māne nūntius quīdam Rōmā ad castra advēnit.

Centuriō II. Ita est: Collātīnum petēbat.
I. Nārrāvit mihi aliquid dē uxōre Collātīnī et Sextō.
II. Mihi etiam: multa audīvī.
Milites. Id scīre cupimus.
I. Nārrābō igitur: tōta rēs vōbīs nārrābitur.
II. Ego etiam tē adiuvābō.
Mil. Silentēs attendēmus et audiēmus.
I. Noctū Sextus ē castrīs ēgressus est.
II. Et Rōmam īvit.
I. Amōrem suum Lucrētiae cōnfessus est.
Mil. Sed fidēlis est Lucrētia, Sextus perfidus.
I. Nūntius ille hūc vēnit Collātīnum petītum.
II. Collātīnus et Brūtus iam Rōmam profectī sunt.
Mil. Sextum occīdent.
I. Sed aliquis nunc venit. Brūtus est.
Mil. Brūtus redit: aliquid novī nōbīs dīcet.
Brutus. Sēditiō fit Rōmae. Plēbs superbiam Tarquinī iamdūdum indīgnātur. Portae Tarquiniīs clausae sunt, expellentur rēgēs.

XXX. Clausulās scrībe ad verba aptās:

i. Nūntius Collātīnum certiōrem fēcit . . . . . .
ii. Manifēstum est . . . . . .
iii. Rūmor per castra percrēbruit . . . . . .
iv. Negāvit Sibylla . . . . . .
v. Apud Līvium invenīmus . . . . . .
vi. Certō scīmus . . . . . .
vii. Cōnstat inter omnēs . . . . . .
viii. Fāma est . . . . . .
ix. Crēdēbant antīquī . . . . . .
x. Incrēdibile est . . . . . .

Ūndecima Lēctiō.

XXXI. Scrībe Petītiōnem Oblīquam:

Tarquinī Porsennam hīs verbīs ōrāvērunt—
i. Rōmam oppūgnā.
ii. Rēgnum nōbīs recipe.
iii. Nōlī Rōmānōs timēre.
iv. Subitum impetum in eōs fac.
v. Nōbīs succurre et dē Rōmānīs poenās sūme.

Prō verbīs *iubeō* et *vetō* scrībe *imperō*:
vi. Porsenna mīlitēs Rōmam oppūgnāre iussit.

vii. Porsenna Tarquiniōs sēcum venīre iussit.
viii. Porsenna suōs proeliō dēsistere vetuit.
ix. Senātus plēbem rēges recipere vetuit.
x. Senātus omnēs ex agrīs Rōmam dēmigrāre iussit.

In hīs quīnque sententiīs quae erant ipsa verba ēius quī loquitur?

Duodecima Lēctiō.

XXXII. Quae erant ipsa verba ēius quī loquitur?

i. Cōnsul Horātiō imperāvit ut pontem cūstōdīret.
ii. . . . nē pontem relinqueret.
iii. Horātius cīvēs ōrāvit nē fugerent.
iv. . . . ut sēcum manērent.
v. Precātus est eōs ut pontem interrumperent.
vi. Orāvit duōs ut sēcum pontem dēfenderent.
vii. Tum eīs suādēbat ut in tūtum sē reciperent.
viii. Hostēs alius alium hortātī sunt nē timērent.
ix. Rōmānī Horātium ōrāvērunt nē diūtius manēret.
x. Horātius Tiberim precātus est ut sē acciperet.

XXXIII. Verte in Petītiōnem Oblīquam (*a*) per clausulam, (*b*) per verbum *iubeō* aut *vetō*.

i. Rōmulus cīvibus 'Nōlīte' inquit 'moenia mea trānsilīre'.
ii. Tarpēia Sabīnīs 'Date mihi' inquit 'armillās vestrās'.
iii. Sabīnus 'Aperī' inquit 'Ō Tarpēia, portam Capitōlī'.
iv. Lēgātī fīnitimīs populīs 'Adeste' inquiunt 'nostrīs lūdīs'.
v. Rōmānī Sabīnīs raptīs 'Nōlīte' inquiunt 'lacrimāre'.
vi. Mātrōnae patribus 'Īgnōscite' inquiunt 'virīs nostrīs'.
vii. Mātrōnae īnfantibus 'Avōs' inquiunt 'salūtāte'.
viii. Sextus nūntiō 'Affer' inquit 'Superbō hās līterās'.
ix. Nūntius 'Lege' inquit 'Ō rēx, hās līterās'.
x. Horātius fugientibus 'Nōlīte' inquit 'sociōs vestrōs dēserere'.

Tertia Decima Lēctiō.

XXXIV. Scrībe Clausulam Fīnālem:

i. Porsenna Rōmam vēnit oppūgnandī causā.
ii. Castra in rīpīs Tiberis posuit ad urbem obsidendam.
iii. Rōmānī ex urbe exīre frūmentum petītum cōnābantur.
iv. Mūcius senātum adiit cōnsilī expōnendī causā.
v. Rōmānī nuntios ad pācem petendam mīsērunt.
vi. Mūcius Porsennae occīdendī causā ad castra hostium īvit.
vii. Scrība cum rēge sedēns stīpendium mīlitibus dabat.
viii. Rēx mīlitēs ad urbem oppūgnandum dūxit.
ix. Lēgātī Rōmam eunt pācem petītum.
x. Lēgātī Mūcium Rōmam secūtī sunt ad condiciōnēs pācis ferendās.

Quārta Decima Lēctiō.

XXXV. In hīs sententiīs scrībe Clausulās Fīnālēs:—

i. Gabīnī urbem mūnīvērunt obsidentibus resistendī causā.
ii. Sextus frātrēs sē ferīre iussit Gabīnōs fallendī causā.
iii. Sextus servum Rōmam mīsit ad lītterās ferendās.
iv. Superbus nūntium mīsit ad respōnsum dandum.
v. Sextus prīncipēs apud populum accūsāvit: eōs tollere cupiēbat.
vi. Sextus prīncipēs sustulit; Gabiīs potīrī cupiēbat.
vii. Sibylla Rōmam vēnit: librōs rēgī vendere cupiēbat.
viii. Tarquinius māgnum pretium solvit: librōs adipīscī cupiēbat.
ix. Pontifex Māximus ōrācula ex librīs Sibyllīnīs petēbat reīpublicae subveniendī causā.
x. Tarquinīī ad Porsennam fūgērunt rēgnī recipiendī causā.

XXXVI. Prō clausulīs scrībe aut gerundium aut supīnum (vidē Gram. § 19).

i. Mūcius profectus est ut rēgem occīderet.
ii. Tarquinīī Clūsium fūgērunt ut auxilium peterent.
iii. Claudius ut amīcum vīseret in urbe mansit.
iv. Convēnērunt Sabīnī ut lūdōs spectārent.

v. Cincinnātum mīserant ut auxilium obsessō exercituī ferret.
vi. Abiimus, ego ut lūderem, ille ut dormīret.
vii. Ut rēgnum recuperārent bellum gerēbant.
viii. Tandem equī admōtī sunt ut hostēs persequerentur.

XXXVII. Complē sententiās:

i. —— quī rēgī rem nuntiārent.
ii. —— deōs salūtātum.
iii. Et discendī et lūdendī causā ——
iv. Quō fortius mīlitēs pūgnārent ——
v. —— ad condiciōnēs pācis expōnendās.
vi. Mūcius ut cōnsilium suum expōneret ——
vii. —— pācem petītum.
viii. —— quī obsidēs redūcerent.

Quīnta Decima Lēctiō.

XXXVIII. Complē per prōnōmina hās sententiās. (Vidē Gram. §§ 13, 14.)

(A. *quis* aut *quisquam*.)

i. Rōmulus in caelum correptus est, neque —— eum posteā vīdit.
ii. Ōrāvit Horātius nē —— ordinem relinqueret.
iii. Sī —— prō patriā pūgnāre nōnvult, abīre licet.
iv. Numquam —— Mūciō fortiōrem vīdī.
v. Vix —— in pontem impetum facere ausus est.
vi. Populus rēgēs expulit nē —— contrā rempublicam audērent.
vii. Obsidēbantur cīvēs neque —— ad vītam necessarium īnferri potuit.
viii. Num —— fortiōrem puellam quam Cloeliam vīdit?

(B. *quīdam* aut *quisque* aut *quīvīs*.)

ix. Ōlim anus —— Rōmam advēnit ut librōs —— venderet.
x. Militēs ad suum —— ordinem rediērunt.
xi. —— hostis inermem exercitum oppūgnāre potest.
xii. Fortissimus —— urbem dēfendere cōnstituit.
xiii. Poēta —— scrīpsit amōrem omnia vincere.
xiv. Sī imperātōrī cōnfīditis, ō mīlitēs, —— facere potestis.
xv. Membra inter sē nōn cōnsentiēbant, sed quod —— vīsum est, id faciēbant.

xvi. Quod antīquī faciēbant id —— hodiē facere potest.

(C. *alter* aut *alius*.)

xvii. Duo forte erant mīlitēs, —— Rōmānus, —— Albānus.

xviii. Ex hominibus —— fortēs —— īgnāvī sunt.

xix. Hostēs —— —— suādēbant ut Rōmānōs oppūgnārent.

xx. Cīvēs non eadem sed —— —— petēbant.

xxi. —— gentēs Rōmānīs, —— Volscīs, in societātem vēnērunt.

xxii. Geminī —— —— hortātī sunt ut urbem conderent.

Sexta Decima Lēctiō.

XXXIX. Scrībe Interrogātiōnem Rēctam.

i. Lēgātī rogāvērunt num hostēs oppidum trādere vellent.

ii. Volscī incertī erant quī essent Rōmānī, quī sociī suī.

iii. Omnēs Rōmānī intellegēbant cūr Mārcius Coriolānus appellārētur.

iv. Rōmānī dubitāvērunt quid facere dēbērent.

v. In senātū rogātum est quantī frūmentum plēbī emendum esset.

vi. Omnēs sciēbant cūr Mārcius ad Volscōs fugeret.

vii. Ōrātōrēs Mārcium rogāvērunt utrum pācem compōnere vellet necne.

viii. Senātus ōrātōrēs rogāvit quod respōnsum referrent.

ix. Mārcius nesciēbat quae mulierēs adessent.

x. Māter eum rogāvit utrum hostis esset an fīlius.

XL. Verte in Interrogātiōnem Oblīquam:—

i. Plēbs 'Num mīlitēs' inquit 'aere aliēnō līberantur?'

ii. Sicinius plēbī 'Quī ex vōbīs' inquit 'ad Montem Sacrum sēcēdere volunt?'

iii. Plēbs 'Ubi' inquit 'est Mōns Sacer?'

iv. Senātus 'Quō' inquit 'discēdit plēbs?'

v. Sicinius plēbī 'Quis' inquit 'castra mūnīre potest?'

vi. Plēbs 'Quid' inquit 'nōbīs sūmendum est?'

vii. Menēnius 'Quid' inquit 'plēbī dīcere dēbeō?'

viii. Membra corporis 'Cūr' inquiunt 'nōs sōlum labōrāmus?'

ix. 'Quid venter facit?'
x. Plēbs 'Quid' inquit 'tribūnīs facere licet?'

Septima Decima Lēctiō.

XLI. Scrībe ipsa verba loquentium:—
i. Rōmānī rogāvērunt quae gentēs contrā sē pūgnātūrae essent.
ii. Rōmānī rogāvērunt quī sēsē dēfēnsūrī essent.
iii. Senātus rogāvit quid Fabia gēns factūra esset.
iv. Senātus rogāvit utrum futūrum esset ut Rōma servārētur necne.
v. Quīntus rogāvit num senātus Fabiōs Vēientibus hostēs datūrus esset.
vi. Quīntus senātum rogāvit quandō hostēs impetum factūrī essent.
vii. Nēmō dubitābat quantā virtūte Fabiī pūgnātūrī essent.
viii. Nēmō sciēbat quae aliae gentēs bellum gestūrae essent.
ix. Fabiī sēsē rogāvērunt quō iter factūrī essent.
x. Fabiī rogāvērunt quandō futūrum esset ut hostēs funderentur.

XLII. Verte in Interrogātiōnem Oblīquam:—
i. Hostēs 'O Fabiī,' inquiunt 'compōnētisne pācem?'
ii. Hostēs 'O Fabiī,' inquiunt 'num nōs occīdētis?'
iii. Hostēs inter sē 'Num ā Fabiīs' inquiunt 'occīdēmur?'
iv. Fabiī 'Nōnne semper' inquiunt 'hostēs superābimus?'
v. Fabiī 'Quot hostēs' inquiunt 'proelium nōbīscum committent?'
vi. Fabiī 'Utrum resistent' inquiunt 'hostēs an fugient?'
vii. Fabiī 'Ubi' inquiunt 'hostēs inveniēmus?'
viii. Hostēs 'Quō Fabiī' inquiunt 'nunc effugient?'
ix. Fabiī 'Quis ex nōbīs' inquiunt 'Rōmam redībit?'
x. Rōmānī 'Num Rōma' inquiunt 'tandem servābitur?'

Duodēvīcēnsima Lēctiō.

XLIII. Scrībe Interrogātiōnem Rēctam:—
i. Rōmānī rogāvērunt quae gēns in Italiam invāsisset.

ii. —— cūr castra sua obsēdissent.
iii. Omnēs certō sciēbant quālēs cōnsulēs creātī essent.
iv. Lēgātī Cincinnātō nūntiāvērunt quid senātus iussisset.
v. Omnibus nōtum erat quantum in perīculum exercitus addūctus esset.
vi. Cincinnātus uxōrem rogāvit ubi togam suam reposuisset.
vii. Uxor nesciēbat quō cōnsiliō lēgātī advēnissent.
viii. Rogāvit Cincinnātūs ubi cōnsul castra posuisset.
ix. Lēgātī exposuērunt quī pavor in exercitū ortus esset.
x. Nēmō mīrātūs est cūr Cincinnātus dictātor creātus esset.

XLIV. Verte in Interrogātiōnem Oblīquam :—
i. Plēbs 'Cūr' inquit 'tabernās claudī iussit?'
ii. 'Nōnne cōnsulēs exercitum in perīculum addūxērunt?'
iii. 'Cūr omnēs iuvenēs ad Campum Mārtium convēnērunt?'
iv. Senēs 'Quid' inquiunt 'ā dictātōre nōbīs imperātum est?'
v. Mīlitēs 'Cūr' inquiunt 'hōs vallōs nōbīscum tulimus?'
vi. Cincinnātus 'Quālia' inquit 'castra posuērunt hostēs?'
vii. Mīlitēs 'Utrum' inquiunt 'sīgnum iam datum est annōn?'
viii. Cōnsul 'Quī hominēs' inquit 'tunc clāmāvērunt?'
ix. 'Utrum Rōmānī auxilium tulērunt annōn?'
x. Dictātor 'Num omnēs hostēs' inquit 'sub iugum missī sunt?'

XLV. Verte in Interrogātiōnem Oblīquam :—
i. Ubi hostēs castra posuērunt et quid nunc agunt?
ii. Quandō lēgātī advēnērūnt et quō diē domum proficīscentur?
iii. Utrum pūgnāre an cēdere Rōmānīs facilius est?
iv. Unde vēnistī? ubi nunc habitās? quō crās Ībis?
v. Quot mīlitēs Mārcus sēcum dūcit et unde eōs comparāvit?

vi. Nōnne crēdunt cōnsulēs bellum brevī cōnfectum īrī?
vii. Quantī frūmentum ēmistis et quantī plēbī vendētis?
viii. Num quis umquam aut tālia ausus est aut hodiē audet?
ix. Uter cōnsul iam periit, uter adhūc hostibus resistit?
x. Cōgnōvistīne quot hostēs sint et ubi castra posuerint?

Ūndēvīcēnsima Lēctiō.

XLVI. Scrībe Exx. XLIV, XLV tempore praesentī.

XLVII. Verte partēs III et VIII lēctiōnis XIX in tempus praeteritum.

XLVIII. Verte in Ōrātiōnem Rēctam :—

Horātius dīxit hostēs Iāniculum cēpisse sed sē pontem dēfēnsūrum esse. Rogāvit quis sēcum id prō patriā ausūrus esset.

Spurius Lartius et Titus Herminius prōmīsērunt sē illī sociōs futūrōs esse : velle enim cum illō pūgnāre.

Horātius sēnsit eōs bonōs esse sociōs et bene pūgnātūrōs : tōtum hostium āgmen cum eīs sē repulsūrum.

Omnēs Rōmānī exclāmant Rōmam tandem servātum īrī.

Porsenna suīs imperat ut illōs trēs occīdant, pontem capiant, urbem intrent.

Horātius autem cīvēs precātur ut pontem interrumpant : sē enim et sociōs impetum hostium sustentūrōs esse.

XLIX. Verte in Ōrātiōnem Oblīquam :—i. post Coriolānus haec locūtus est, ii. post Coriolānus haec loquitur.

'Plēbs, ō patrēs, annō priōre in Sacrum Montem sēcēssit. Quid nunc ēvēnit? Propter incultōs agrōs, frūmentō carēmus : famē oppressī sumus, quālem obsessī patī solent : quīn etiam incertī sumus quid facere dēbeāmus. Frūmentum tamen ā Siciliā petītum emere volunt : hoc sī facere volunt, patribus pārēre dēbent. Cūr Sicinium tam superbum videō? Egone hoc diūtius patī possum, quī Tarquinium ferre nōluī? Nunc licet plēbī sēcēdere : patet via in Sacrum Montem aliōsque collēs :

licet eīs, id quod anteā fēcērunt, frūmentum quod in agrīs est rapere. Num rogātis quantī frūmentum ā Siciliā petītum emendum sit? Nōlīte, ō patrēs, id vendere! datō nōn grātiās agent: nam quālēs hominēs sunt? Nōlīte eīs crēdere! Aliquandō et vōs ipsōs cīvitāte pellent.'

L. Verte in Ōrātiōnem Oblīquam, i. tempore praeteritō, ii. tempore praesentī.

i. Ōrātiōnem Tarquiniōrum (Lēctiō XI).
ii. Ōrātiōnēs Mūcī et Porsennae (Lēctiō XIII).
iii. Fābulam dē membrīs corporis (Lēctiō XV).

Vīcēnsima Lēctiō.

LI. Verte in Ōrātiōnem Oblīquam :—

i. Gaudeō quod tū exercitusque tuus valētis.
ii. Lēgātī quī Rōmam missī sunt auxilium nōn impetrāvērunt.
iii. Nōlīte eōs oppūgnāre quī nūllam iniūriam vōbīs intulērunt.
iv. Parcam vōbīs sī hoc fēceritis.
v. Ad lapidem XI, ubi Allia Tiberī iungitur, hostēs convēnērunt.
vi. Ā dextrā est collis, in quō nostrī cōnsēdērunt.
vii. Locum occupāvērunt ut in āversōs hostēs impetum facerent.
viii. Nisi eōs dēturbāverimus, impetum in nōs facient.
ix. Rōmānī, quī ā sinistrō cornū erant, fūgērunt.
x. Dum fugiunt, māgna hostium facta est caedēs.
xi. Omnēs quī supersunt Vēiōs perfūgērunt.
xii. Nisi nōbīs auxilium mīseritis, superābimur.
xiii. Victī sunt propterea quod subsidia nōn pervēnērunt.
xiv. Sīcut eīs imperātum est, usque ad mortem restitērunt.
xv. Sī Rōmam pervēnerimus, Rōmānī sē dēdent.

Ūna et Vīcēnsima Lēctiō.

LII. Compōne hās sententiās per Clausulam Cōnsecūtīvam :—

i. Gallī obstupefactī erant: fraudem timēbant.
ii. Īnsidiās metuēbant; trēs diēs morātī sunt.

iii. Diū morātī sunt: Rōmānī ad Capitōlium fūgērunt.
iv. Multī Rōmānī Vēiōs fūgerant: pāucī Rōmae erant.
v. Māgnus erat hostium timor: semper impetum exspectābant.
vi. Senēs Gallōs contemnēbant: in urbe mānsērunt.
vii. Iuvenēs frūmentō carēbant: cēterī Rōmā discēssērunt.
viii. Gallus quīdam audāx erat: barbam M. Papīrī permulsit.
ix. Papīrius īrātus erat: Gallum percussit.
x. Rōmānī summā virtūte pūgnābant: Gallōs āscendentēs fūdērunt.

Idem pēnsum fac tempore praesentī.

Altera et Vīcēnsima Lēctiō.

LIII. A. Compōne Clausulā Condiciōnālī adhibitā (praeteritō tempore):

e. g. Gallī famē oppressī sunt: nōn igitur Rōmae mānsērunt.
Nisi Gallī famē oppressī essent, Rōmae mānsissent.

i. Camillus exul Ardeam īvit: Ardeātēs igitur ad proelium dūxit.
ii. Dux Rōmānōrum tunc nōn erat: Gallī igitur Rōmam pervēnērunt.
iii. Vesperī parātī erant Ardeātēs: Camillum igitur secūtī sunt.
iv. Castra Gallōrum neglēcta erant: Camillus igitur eōs facile vīcit.
v. Camillus Ardeātēs dūxit: Gallī igitur victī sunt.

B. Compōne per Clausulam Condiciōnālem (praesentī tempore):

e. g. Nōn magister sum: nōn igitur doceō.
Sī magister essem, docērem.

i. Discipulus sum: pēnsum igitur nunc faciō.
ii. Stilum teneō: scrībere igitur possum.
iii. Nōn tempus est cēnae: nōn igitur cēnāmus.
iv. Nōn nox est: hominēs igitur nōn dormiunt.
v. Famē opprimor: edere igitur cupiō.

C. Compōne per Clausulam Condiciōnālem (futūrō tempore):

e. g. Oppidum dēfendētis: nōn igitur ā Gallīs capiētur.

Sī oppidum nōn dēfendētis (*vel* dēfenderitis), ā Gallīs capiētur.

i. Hostēs oppidum nōn oppūgnābunt: tūtum igitur erit.

ii. Hostēs oppidum nōn capient: nōn igitur servī fīētis.

iii. Arma capiētis: hostēs igitur vincentur.

iv. Hostēs nōn vigilantēs inveniētis: eōs igitur vincētis.

v. Gallōs vincētis: Ardea igitur servābitur.

Tertia et Vīcēnsima Lēctiō.

LIV. Subiunge sententiās sequentēs hīs locūtiōnibus:—

(*a*) accidit *vel* ēvēnit ut . . .

i. Obsidiō ā Gallīs omissa est.

ii. Nūntiī ā Capitōliō Vēiōs redībant.

iii. Iuvenis Rōmānus sē audācem praebuit.

iv. Dictātor ā Rōmānīs creātus est.

v. Dictātor ā Rōmānīs creātus erat.

vi. Dī Rōmānīs propitiī erant.

(*b*) haud dubium erat quīn . . .

i. Utrīque famē opprimēbantur.

ii. Rēs in summum discrīmen addūcta est.

iii. Gallī Rōmānōs superābunt.

iv. Gallī bis iam Rōmānōs superāvērunt.

v. Camillus māgnam victōriam reportābit.

vi. Dī Rōmānīs hodiē propitiī sunt.

Quārta et Vīcēnsima Lēctiō.

LV. Verte in Ōrātiōnem Oblīquam (i) Camillī verba (Lēct. xxii), 'O Ardeātēs . . . praeripite'; (ii) adhibitā sententiā Apud Līvium invenīmus prīmam partem Lēctiōnis xxiv, 'Namque . . . inter eōs convenit'.

ARS GRAMMATICA

PRĪMA PARS: ACCIDENTIA

GENERA NŌMINUM III DĒCLĪNĀTIŌNIS.

§ 1. Hōrum nōminum Genera ex terminātiōnibus hōc modō discernī possunt:

i. Imparisyllabica nōmina quae in -ō (e.g. sermō sermōnis), -or (e.g. clāmor clāmōris), -ōs (e.g. flōs flōris), -es vel -is (e.g. eques equitis, sanguis sanguinis) exeunt, māsculīna sunt.

Excipienda: carō carnis (f.),
arbor arboris (f.), cor cordis (n.),
ōs ōris (n.) (etiam os ossis (n.)),
seges segetis (f.).

ii. Fēminīna sunt ea nōmina quae in -dō (e.g. fortitūdō fortitūdinis), -iō (e.g. opīniō opīniōnis), -tās (e.g. aetās aetātis), -ūs (e.g. salūs salūtis), -x vel duōs cōnsonantēs (e.g. pāx pācis, pars partis) exeunt. Haec ferē omnia nōmina Abstrācta sunt.

Excipienda: ordō ordinis (m.), cardō cardinis (m.),
grēx gregis (m.),
mōns montis (m.), pōns pontis (m.),
dēns dentis (m.).

Parisyllabica nōmina quae in -is (vel -ēs) exeunt plērumque fēminīna sunt (e.g. nāvis, nūbēs); sed nōnnūlla māsculīna sunt, e.g.

Amnis, collis, fīnis, ēnsis,
Orbis, pānis, piscis, mēnsis.

iii. Neutrālia sunt ea quae in -en (e.g. nōmen nōminis), -er vel -ēr (e.g. verber verberis, vēr vēris), -us (e.g. opus operis, corpus corporis), -l (e.g. animal animālis), -c (e.g. lāc lactis), -t (e.g. caput capitis) exeunt.

Excipienda: lepus leporis (m.),
sāl salis (m.), sōl sōlis (m.).

N.B.—Nōmina marium secundum sēnsum māsculīna, fēminārum fēminīna, sunt.

Exempla generum Tertiae Declīnātiōnis nōminum:

leō fulvus	cor stultum
sermō facētus	flōs purpureus
carō cocta	mōs antīquus.
clāmor inimīcus	ōs pulchrum
color caeruleus	mīles Rōmānus
labor immēnsus	pēs dexter
viātor fessus	sanguis ruber
arbor frondōsa	pulvis siccus
uxor cārissima	seges mātūra
sōlitūdō misera	lūx prīma
ordō senātōrius	nox intempesta
lēctiō vīcēnsima	vōx dīvīna
legiō decima	grex rēgius
obsidiō longa	ars mathēmatica
ōrātiō oblīqua	hiēms nivōsa
aestās media	pars dīmidia
cīvitās foederāta	plēbs īnfima
servitūs perpetua	dēns acūtus
iuventūs iūcunda	mōns summus
senectūs molesta	pōns sublicius
avis rāra	nūbēs dēnsissima
nāvis longa	cīvis Rōmānus
puppis alta	mēnsis Iānuārius
vestis fēminea	amnis rapidus
famēs sacra (aurī)	collis saxōsus
āgmen novissimum	vulnus mortiferum
flūmen rapidum	crūs sinistrum
iter longum	rūs amoenum
vēr iūcundum	lepus timidus
genus hūmānum	animal ferum
onus gravissimum	sōl splendidus

VERBA.

§ 2. *Cōnspectus temporum Indicātīvī Modī aliārumque partium verbōrum.*

(i) *Vōx āctīva :*

		I. Coniugātiō	*II. Coniugātiō*	*III. Coniugātiō*	*IV. Coniugātiō*
Modus Indicātīvus	*Praesēns*	amō	moneō	regō	audiō
	Praeteritum Impf.	amābam	monēbam	regēbam	audiēbam
	Futūrum	amābō	monēbō	regam	audiam
	Perfectum	amāvī	monuī	rēxī	audīvī
	Praeteritum pf.	amāveram	monueram	rēxeram	audīveram
	Futūrum pf.	amāverō	monuerō	rēxerō	audīverō
Imperātīvus		amā	monē	rege	audī
Participia	*Praesēns*	amāns	mònēns	regēns	audiēns
	Perfectum	(*dēest*)	(*dēest*)	(*dēest*)	(*dēest*)
	Futūrum	amātūrus	monitūrus	rēctūrus	audītūrus
Īnfīnītīvus	*Praesēns*	amāre	monēre	regere	audīre
	Perfectum	amāvisse	monuisse	rēxisse	audīvisse
	Futūrum	amātūrus esse	monitūrus esse	rēctūrus esse	audītūrus esse
Gerundium		amandum	monendum	regendum	audiendum
Supīnum		amātum	monitum	rēctum	audītum

(ii) *Vōx passīva :*

Modus Indicātīvus	*Praesēns*	amor	moneor	regor	audior
	Praeteritum Impf.	amābar	monēbar	regēbar	audiēbar
	Futūrum	amābor	monēbor	regar	audiar
	Perfectum	amātus sum	monitus sum	rēctus sum	audītus sum
	Praeteritum Pf.	amātus eram	monitus eram	rēctus eram	audītus eram
	Futūrum Pf.	amātus erō	monitus erō	rēctus erō	audītus erō
Imperātīvus		amāre	monēre	regere	audīre
Participia	*Praesēns*	(*dēest*)	(*dēest*)	(*dēest*)	(*dēest*)
	Perfectum	amātus	monitus	rēctus	audītus
	Futūrum	(*dēest*)	(*dēest*)	(*dēest*)	(*dēest*)
Īnfīnītīvus	*Praesēns*	amārī	monērī	regī	audīrī
	Perfectum	amātus esse	monitus esse	rēctus esse	audītus esse
	Futūrum	amātūm īrī	monitum īrī	rēctum īrī	audītum īrī
Gerundium Adiectīvum		amandus	monendus	regendus	audiendus

Modus Subiūnctīvus.

§ 3. *Vōx āctīva* :

	esse	amāre	monēre	regere	audīre
Praesēns	sim	am-em	mon-eam	reg-am	aud-iam
	sīs	am-ēs	mon-eās	reg-ās	aud-iās
	sit	am-et	mon-eat	reg-at	aud-iat
	sīmus	am-ēmus	mon-eāmus	reg-āmus	aud-iāmus
	sītis	am-ētis	mon-eātis	reg-ātis	aud-iātis
	sint	am-ent	mon-eant	reg-ant	aud-iant
Praeteritum	essem	amā-rem	monē-rem	rege-rem	audī-rem
	essēs	amā-rēs	monē-rēs	rege-rēs	audī-rēs
	esset	amā-ret	monē-ret	rege-ret	audī-ret
	essēmus	amā-rēmus	monē-rēmus	rege-rēmus	audī-rēmus
	essētis	amā-rētis	monē-rētis	rege-rētis	audī-rētis
	essent	amā-rent	monē-rent	rege-rent	audī-rent
Perfectum	fu-erim	amāv-erim	monu-erim	rēx-erim	audīv-erim
	fu-eris	amāv-eris	monu-eris	rēx-eris	audīv-eris
	fu-erit	amāv-erit	monu-erit	rēx-erit	audīv-erit
	fu-erimus	amāv-erimus	monu-erimus	rēx-erimus	audīv-erimus
	fu-eritis	amāv-eritis	monu-eritis	rēx-eritis	audīv-eritis
	fu-erint	amāv-erint	monu-erint	rēx-erint	audīv-erint
Praeteritum Perfectum	fu-issem	amāv-issem	monu-issem	rēx-issem	audīv-issem
	fu-issēs	amāv-issēs	monu-issēs	rēx-issēs	audīv-issēs
	fu-isset	amāv-isset	monu-isset	rēx-isset	audīv-isset
	fu-issēmus	amāv-issēmus	monu-issēmus	rēx-issēmus	audīv-issēmus
	fu-issētis	amāv-issētis	monu-issētis	rēx-issētis	audīv-issētis
	fu-issent	amāv-issent	monu-issent	rēx-issent	audīv-issent

Vōx passīva :

Praesēns	am-er	mon-ear	reg-ar	aud-iar
	am-ēris	mon-eāris	reg-āris	aud-iāris
	am-ētur	mon-eātur	reg-ātur	aud-iātur
	am-ēmur	mon-eāmur	reg-āmur	aud-iāmur
	am-ēminī	mon-eāminī	reg-āminī	aud-iāminī
	am-entur	mon-eantur	reg-antur	aud-iantur
Praeterītum	amā-rer	monē-rer	rege-rer	audī-rer
	amā-rēris	monē-rēris	rege-rēris	audī-rēris
	amā-rētur	monē-rētur	rege-rētur	audī-rētur
	amā-rēmur	monē-rēmur	rege-rēmur	audī-rēmur
	amā-rēminī	monē-rēminī	rege-rēminī	audī-rēminī
	amā-rentur	monē-rentur	rege-rentur	audī-rentur
Perfectum	amātus sim	monitus sim	rēctus sim	auditus sim
	amātus sīs	monitus sīs	rēctus sīs	auditus sīs
	amātus sit	monitus sit	rēctus sit	auditus sit
	amātī sīmus	monitī sīmus	rēctī sīmus	auditī sīmus
	amātī sītis	monitī sītis	rēctī sītis	auditī sītis
	amātī sint	monitī sint	rēctī sint	auditī sint
Praeterītum Perfectum	amātus essem	monitus essem	rēctus essem	auditus essem
	amātus essēs	monitus essēs	rēctus essēs	auditus essēs
	amātus esset	monitus esset	rēctus esset	auditus esset
	amātī essēmus	monitī essēmus	rēctī essēmus	auditī essēmus
	amātī essētis	monitī essētis	rēctī essētis	auditī essētis
	amātī essent	monitī essent	rēctī essent	auditī essent

§ 4. Anōmala Verba: Subiūnctīvus Modus.

		capiō *	eō	ferō	fīō	volō	nōlō	mālō
Vōx Āctīva	*Praesēns*	capiam	eam	feram	fīam	velim	nōlim	mālim
	Praeteritum	caperem	īrem	ferrem	fierem	vellem	nōllem	māllem
	Perfectum	cēperim	īverim	tulerim	[factus sim]	voluerim	nōluerim	māluerim
	Praeteritum Pf.	cēpissem	īvissem	tulissem	[factus essem]	voluissem	nōluissem	māluissem
Vōx Passīva	*Praesēns*	capiar		ferar				
	Praeteritum	caperer		ferrer				
	Perfectum	captus sim		lātus sim				
	Praeteritum Pf.	captus essem		lātus essem				

* Eōdem modō coniugantur cupiō, faciō, fodiō, fugiō, iaciō, rapiō, -spiciō, et hōrum composita. Eōdem modō quō capior coniugantur gradior (prōgredior, etc.), morior, patior.

§ 5. Tabula Partium Prīncipālium.

Exhibentur quaedam exempla compositōrum verbōrum. Sī nūllum exemplum datur, compositum eandem plērumque formam habet quam sīmplex verbum.

Verba Prīmae Coniugātiōnis.

dō	dăre	dedī	datum
secō	secāre	secuī	sectum
stō	stāre	stetī	statum
praestō	-stāre	-stitī	-stitum

Verba Secundae Coniugātiōnis.

doceō	**-ēre**	**docuī**	**doctum**
teneō	-ēre	tenuī	tentum
sustineō	-ēre	-tinuī	-tentum
mīsceō	-ēre	mīscuī	mīxtum
dēleō	**-ēre**	**dēlēvī**	**dēlētum**
fleō	-ēre	flēvī	flētum
neō	-ēre	nēvī	nētum
compleō	-ēre	-plēvī	-plētum
augeō	**-ēre**	**auxī**	**auctum**
fulgeō	-ēre	fulsī	(*dēest*)
haereō	-ēre	haesī	haesum
iubeō	-ēre	iussī	iussum
maneō	-ēre	mānsī	mānsum
mulceō	-ēre	mulsī	mulsum
rīdeō	-ēre	rīsī	rīsum
suādeō	-ēre	suāsī	suāsum
caveō	**-ēre**	**cāvī**	**cautum**
faveō	-ēre	fāvī	fautum
moveō	-ēre	mōvī	mōtum
sedeō	-ēre	sēdī	sessum
obsideō	-ēre	-sēdī	-sessum
videō	-ēre	vīdī	vīsum
mordeō	**-ēre**	**momordī**	**morsum**
pendeō	-ēre	pependī	pēnsum
spondeō	-ēre	spopondī	spōnsum
respondeō	-ēre	-spondī *	-spōnsum

* N.B. In compositīs verbīs duplicātiō nōn fit.

carpō	-ere	carpsī	carptum
cingō	-ere	cīnxī	cīnctum
coquō	-ere	coxī	coctum
dīcō	-ere	dīxī	dīctum
dūcō	-ere	dūxī	dūctum
fingō	-ere	fīnxī	fīctum
gerō	-ere	gessī	gestum
iungō	-ere	iūnxī	iūnctum
intellegō	-ere	-lēxī	-lēctum
neglegō	-ere	-lēxī	-lēctum
nūbō	-ere	nūpsī	nūptum
pingō	-ere	pīnxī	pīctum
regō	-ere	rēxī	rēctum
corrigō	-ere	-rēxī	-rēctum
N.B. surgō	-ere	-rēxī	-rēctum
scrībō	-ere	scrīpsī	scrīptum
stringō	-ere	strīnxī	strīctum
struō	-ere	struxī	structum
sūmō	-ere	sūmpsī	sūmptum
tegō	-ere	tēxī	tēctum
contemnō	-ere	-tempsī	-temptum
trahō	-ere	trāxī	trāctum
combūrō	-ere	-ūssī	-ūstum
vehō	-ere	vēxī	vēctum
vīvō	-ere	vīxī	vīctum
claudō	-ere	clausī	clausum
inclūdō	-ere	-clūsī	-clūsum
cēdō	-ere	cēssī	cēssum
dīvidō	-ere	dīvīsī	dīvīsum
fīgō	-ere	fīxī	fīxum
fluō	-ere	fluxī	fluxum
flectō	-ere	flexī	flexum
lūdō	-ere	lūsī	lūsum
mittō	-ere	mīsī	missum
plaudō	-ere	plausī	plausum
premō	-ere	pressī	pressum
opprimō	-ere	-pressī	-pressum
trūdō	-ere	trūsī	trūsum
vādo	-ere	vāsī	vāsum

accendō	-ere	-cendī	-cēnsum
dēfendō	-ere	-fendī	-fēnsum
pandō	-ere	pandī	pānsum passum
scandō	-ere	scandī	scānsum
āscendō	-ere	-scendī	-scēnsum
vertō	-ere	vertī	versum
cadō	**-ere**	**cecidī**	**cāsum**
accidō	-ere	-cidī	(*dēest*)
caedō	-ere	cecīdī	caesum
occīdō	-ere	-cīdī	-cīsum
canō	-ere	cecinī	cantum
currō	-ere	cucurrī	cursum
incurrō	-ere	-currī	-cursum
discō	-ere	didicī	(*dēest*)
ēdiscō	-ere	N. B. ēdidicī	(*dēest*)
fallō	-ere	fefellī	fālsum
parcō	-ere	pepercī	(*dēest*)
pellō	-ere	pepulī	pulsum
expellō	-ere	-pulī	-pulsum
repellō	-ere	N. B. reppulī	repulsum
pendō	-ere	pependī	pēnsum
pōscō	-ere	popōscī	(*dēest*)
dēsistō	-ere	-stitī	-stitum
tangō	-ere	tetigī	tāctum
contingō	-ere	-tigī	-tāctum
tendō	-ere	tetendī	tentum
agō	**-ere**	**ēgī**	**āctum**
abigo	-ere	-ēgī	-āctum
N. B. cōgō	-ere	coēgī	coāctum
emō	-ere	ēmī	emptum
adimō	-ere	-ēmī	-emptum
frangō	-ere	frēgī	frāctum
legō	-ere	lēgī	lēctum
colligō	-ere	-lēgī	-lēctum
relinquō	-ere	-līquī	-lictum
rumpō	-ere	rūpī	ruptum
vincō	-ere	vīcī	victum
edō	**-ere (ēsse)**	**ēdī**	**ēsum**
fundō	-ere	fūdī	fūsum

consīdō	-ere	-sēdī	-sessum
findō	-ere	fĭdī	fissum
scindō	-ere	scĭdī	scissum
cernō	**-ere**	**crēvī**	**crētum**
crēscō	-ere	crēvī	crētum
nōscō	-ere	nōvī	nōtum
cōgnōscō	-ere	-nōvī	-nitum
īgnōscō	-ere	-nōvī	-nōtum
pāscō	-ere	pāvī	pāstum
serō	-ere	sēvī	satum
sinō	-ere	sīvī	situm
spernō	-ere	sprēvī	sprētum
sternō	-ere	strāvī	strātum
cōnsuēscō	-ere	-suēvī	-suētum
arcessō	-ere	arcessīvī	arcessītum
lacessō	-ere	lacessīvī	lacessītum
petō	-ere	petīvī	petītum
quaerō	-ere	quaesīvī	quaesītum
exquīrō	-ere	-quīsīvī	-quīsītum
colō	**-ere**	**coluī**	**cultum**
accumbō	-ere	-cubuī	-cubitum
consulō	-ere	-suluī	-sŭltum
metō	-ere	messuī	messum
pōnō	-ere	posuī	positum
serō	-ere	seruī	sertum
texō	-ere	texuī	textum
acuō	-ere	acuī	acūtum
induō	-ere	induī	indūtum
statuō	-ere	statuī	statūtum
cōnstituō	-ere	-stituī	-stitūtum
tribuō	-ere	tribuī	tribūtum
solvō	-ere	solvī	solūtum
volvō	-ere	volvī	volūtum

---

ferō	ferre	tulī	lātum
afferō	-ferre	attulī	allātum
auferō	-ferre	abstulī	ablātum
cōnferō	-ferre	contulī	collātum
differō	-ferre	distulī	dīlatum
offerō	-ferre	obtulī	oblātum

referō	-ferre	rettulī	relātum
tollō	tollere	sustulī	sublātum

capiō	-ere	cēpī	captum
accipiō	-ere	-cēpī	-ceptum
faciō	-ere	fēcī	factum
afficiō	-ere	-fēcī	-fectum
fodiō	-ere	fōdī	fossum
fugiō	-ere	fūgī	fugitum
iaciō	-ere	iēcī	iactum
cōniciō	-ere	-iēcī	-iectum
alliciō	-ere	-lexī	-lectum
cōnspiciō	-ere	-spexī	-spectum
quatiō	-ere	quassī	quassum
dēcutiō	-ere	-cussī	-cussum
rapiō	-ere	rapuī	raptum
abripiō	-ere	-ripuī	-reptum
pariō	-ere	peperī	partum
cupiō	-ere	cupīvī	cupītum

Verba Quartae Coniugātiōnis.

aperiō	-īre	-peruī	-pertum
reperiō	-īre	N. B. repperī	-pertum
saliō	-īre	saluī	saltum
dēsiliō	-īre	-siluī	-sultum
sentiō	-īre	sēnsi	sēnsum
sepeliō	-īre	sepelīvī	sepultum
veniō	-īre	vēnī	ventum
vinciō	-īre	vinxī	vinctum

Dēpōnentia.

reor	rēri	ratus sum
fateor	-ērī	fassus sum
cōnfiteor	-ērī	-fessus sum
fruor	-ī	fruitus sum
fungor	-ī	fūnctus sum
lābor	-ī	lāpsus sum
loquor	-ī	locūtus sum
queror	-ī	questus sum
sequor	-ī	secūtus sum
ūtor	-ī	ūsus sum

adipīscor	-ī	-eptus sum
irāscor	-ī	īrātus sum
nāscor	-ī	nātus sum
oblīvīscor	-ī	oblītus sum
prŏficīscor	-ī	-fectus sum
ulcīscor	-ī	ultus sum
gradior	-ī	gressus sum
prōgredior	-ī	-gressus sum
morior	-ī	mortuus sum
patior	-ī	passus sum
orior	-īrī	ortus sum

Sēmidēpōnentia.

audeō	-ēre	ausus sum
cōnfīdō	-ēre	-fīsus sum
gaudeō	-ēre	gāvīsus sum
soleō	-ēre	solitus sum

NUMERĀLIA.

§ 6.	*Cardinālia* (Quot?).	*Ordinālia* (Quotus?).	*Adverbia* (Quotiēns?).
I	ūnus	prīmus	semel
II	duo	secundus *vel* alter	bis
III	trēs	tertius	ter
IV	quattuor	quārtus	quater
V	quīnque	quīntus	quīnquiēns
VI	sex	sextus	sexiēns
VII	septem	septimus	septiēns
VIII	octō	octāvus	octiēns
IX	novem	nōnus	noviēns
X	decem	decimus	deciēns
XI	ūndecim	ūndecimus	ūndeciēns
XII	duodecim	duodecimus	duodeciēns
XIII	trēdecim	tertius decimus	terdeciēns
XIV	quattuordecim	quārtus decimus	quaterdeciēns
XV	quīndecim	quīntus decimus	quīndeciēns
XVI	sēdecim	sextus decimus	sēdeciēns
XVII	septendecim	septimus decimus	septiēnsdeciēns
XVIII	duodēvīgintī	duodēvīcēnsimus	duodēvīciēns

XIX	ūndēvīgintī	ūndēvīcēnsimus	ūndēvīciēns
XX	vīgintī	vīcēnsimus	vīciēns
XXI	ūnus et vīgintī	ūnus et vīcēnsimus	semel et vīciēns
XXII	duo et vīgintī	alter et vīcēnsimus	bis et vīciēns
XXVIII	duodētrīginta	duodētrīcēnsimus	duodētrīciēns
XXIX	ūndētrīginta	ūndētrīcēnsimus	ūndētrīciēns
XXX	trīginta	trīcēnsimus	trīciēns
XL	quadrāginta	quadrāgēnsimus	quadrāgiēns
L	quīnquāginta	quīnquāgēnsimus	quīnquāgiēns
LX	sexāginta	sexāgēnsimus	sexāgiēns
LXX	septuāginta	septuāgēnsimus	septuāgiēns
LXXX	octōginta	octōgēnsimus	octōgiēns
XC	nōnāginta	nōnāgēnsimus	nōnāgiēns
C	centum	centēnsimus	centiēns
CC	ducentī	ducentēnsimus	ducentiēns
CCC	trecentī	trecentēnsimus	trecentiēns
CCCC	quadringentī	quadringentēnsimus	quadringentiēns
D	quīngentī	quīngentēnsimus	quīngentiēns
DC	sescentī	sescentēnsimus	sescentiēns
DCC	septingentī	septingentēnsimus	septingentiēns
DCCC	octingentī	octingentēnsimus	octingentiēns
DCCCC	nōngentī	nōngentēnsimus	nōngentiēns
M	mille (hominēs)	millēnsimus	milliēns
MM	duo mīlia (hominum)	bis millēnsimus	bis milliēns
MMM	tria mīlia	ter millēnsimus	ter milliēns

Adiectīvōrum dēclīnātiō.

§ 7. Haec Adiectīva secundae Dēclīnātiōnis Genitīvum Cāsum in -īus, Datīvum Cāsum in -ī exhibent: alius, ūllus, nūllus, sōlus, tōtus, ūnus, uter, alter, neuter.

SECUNDA PARS: SYNTAXIS

CĀSŪS NŌMINUM.

§ 8. Genitīvum cāsum regunt haec verba, meminī, oblīvīscor, admoneō, misereor, et Impersōnālia quaedam: e. g.

Ōrātiōnis meminī sed *diēī* oblītus sum.
Centuriō mē *iussī tuī* admonuit.
Misereor *eōrum* quī Gracchōs imitantur.
Facinoris meī et paenitet mē et pudet.

§ 9. Verba quae Datīvum cāsum regunt sunt haec: pāreō, imperō, crēdō, cōnfīdō, nūbō, parcō, resistō, faveō, noceō, suādeō: e. g.

Centuriō *aliīs* pāret, imperat *aliīs*.
Quī *omnibus* crēdit nōnnumquam fallitur.
Fortiter, Ō mīlitēs, *hostibus* resistite.
Eī quī *istī sententiae* favent *reīpūblicae* nocent.

§ 10. Verba quae Ablātīvum cāsum regunt sunt haec: fruor, fungor, potior, ūtor, careō et egeō, opus est: e. g.

Tālī beneficiō melius est carēre quam fruī.
Amūlius *rēgnō* potīrī cōnstituit.
Hāc dē rē *iūdiciō tuō* ūtere.
Cibō opus est omnibus hominibus.

§ 11. Datīvus Praedicātīvus cum verbō esse coniūnctus Praedicātiōnem complet: e. g.

Hōrum adventus Rōmānīs *salūtī fuit*.
Omnia quae ad scrībendum *ūsuī sunt*, ibi invēnit.
Scaevolae virtūs fortissimō cuīque *exemplō erat*.

§ 12. Locātīvus cāsus haud rārō ūsūrpātur ad pretium indicandum: e. g.

Quod *māgnī* (= māgnō pretiō) ēmerat, id *vīlī* vendidit.
Inimīcōs non *tantī* aestimō *quantī* amīcōs.

Sī per nōmen pretium indicātur, nōmen in Ablātīvō cāsū stat, e.g.

Tribus sestertiīs librum ēmit.

PRŌNŌMINA.

§ 13. Indēfīnīta Prōnōmina.

Quisquam nōn nisi in negātīvīs sententiīs stāre potest: e.g.

Periit rēspūblica *neque quisquam* eam restituere potest.
Dē Rōmulō *vix quidquam* certō scīmus.

Quis post vocābula nē, sī, cum, num adhibendum est: e.g.

Num quis usquam fortiōrem virum vīdit?
Sī quid mihi acciderit, Mārcus tibi scrībet.

Aliquis, quīdam, nōnnūllī hōc sēnsū ūsūrpantur:

Aliquis (sed nesciō quis) aedēs incendit.
Crēdunt philosophī *quīdam* (quōs nōmināre possum) stellās esse mortuōrum animās.
Ex vulnerātīs quoque *nōnnūllī* pūgnāvērunt.

§ 14. Quisque in locūtiōnibus quibusdam ūsūrpātur, sed nōn ipsum per sē: e.g.

i. Cum adiectīvō superlātīvī gradūs.

Fortissimus quisque prō patriā pūgnāns periit.

ii. Cum adiectīvō suus vel prōnōmine sē, sibi, etc.

Ad *suum quisque* oppidum lēgātī rediērunt.

iii. In clausulā relātīvā.

Mīlitēs, *quod cuīque* placēbat, id faciēbant.

N.B.—Quisque post id vocābulum quōcum coniūnctum est plērumque stat.

Quīvīs vel quīlibet idem ferē sīgnificat quod omnēs: e.g.

Cuīvīs potest accidere id quod tibi accidit.

Tempora.

§ 15. Animadvertendum est Perfectum quod vocātur Tempus duōrum Temporum mūnere fungī,

i. Praesentis Perfectī: e.g.

Hodiē tandem Catilīnam ex urbe *ēiēcimus.*

ii. Praeteritī Indēfīnītī: e.g.

Nūntius, tertiā hōrā profectus, eōdem diē Rōmam *pervēnit.*

Vōx Passīva.

§ 16. Quodvīs vel intrānsitīvum verbum Passīvam Vōcem sūmere potest: e.g.

Āct. Mīlitēs ācriter pūgnāvērunt.
Pass. Ā mīlitibus ācriter *pūgnātum est.*
Āct. Rōmānī hostibus diū resistēbant.
Pass. Ā Rōmānīs diū hostibus *resistēbātur.*

Modus Subiūnctīvus.

§ 17. Hic modus in prīncipālibus sententiīs aut imperātīvam aut dubitātīvam habet vīm: e.g.

i. *Amēmus* patriam, *pāreāmus* senātuī, *cōnsulāmus* bonīs.

Nihil *īgnōveris* nōve misericordiā *commōtus sīs.*

ii. Quid paucī contrā tot mīlia *faciānt*?

Participia.

§ 18. Latīnā linguā tria omnīnō Participia exstant, Praesēns et Futūrum Āctīvae vōcis, Praeteritum Passīvae vōcis.

Sequitur ut intrānsitīvīs verbis (quia Passīvam vōcem nōn admittunt) Praeteritum participium omnīnō dēsit. Dēpōnentia verba tria habent participia āctīvō sēnsū, e.g. loquēns, locūtus, locūtūrus.

§ 19. Gerundium, cum Praepositiōne coniūnctum, indicat plērumque quō cōnsiliō aliquid agātur: e. g.

Lēgātī adsunt *ad condiciōnēs pācis expōnendās.*
Ad templa īmus deōs *precandī causā.*
Brevis vīta satis est *ad bene vīvendum.*

Supīnum eōdem sēnsū ūsūrpātur post verba eundī et mittendī; interdum Obiectum (sī verbum trānsitīvum est), rārō adverbia eīsve similia, admittit, e. g.

Lūsum it Maecēnās, *dormītum* ego Vergiliusque.
Hostēs lēgātōs mittunt *pācem petītum.*
Spectātum veniunt, veniunt spectentur ut ipsae.

§ 20. Gerundium (et substantīvum et adiectīvum) cum verbō esse coniūnctum necessitātem quandam exprimit: e. g.

In tantō malō *audendum* et *agendum*, nōn *cōnsultandum, est.*
Caesarī omnia simul in ipsō perīculō *facienda erant.*

Hāc in cōnstructiōne Dativus Agentis adhibendus est, e. g.

Caesarī (nōn *ā Caesare*) omnia facienda erant.

CLAUSULAE.

§ 21. Clausulae sunt eae sententiae quae ex Prīncipālī sententiā pendent. Hārum tria sunt genera: aut enim *nōminālēs* vocantur sī nōminis, aut *adiectīvālēs* sī adiectīvī, aut *adverbiālēs* si adverbī, officiō funguntur.

CLAUSULAE NŌMINĀLĒS.

§ 22. *Praedicātiō Oblīqua* (*Accūsātīvus cum Īnfīnītīvō*).

Haec clausula post verba dīcendī et sentiendī eīsque similia adhibētur, e. g. dīcō, respondeō, certiōrem faciō, ferunt, intellegō, reor, prō certō habeō,

manifēstum est, incrēdibile est, cōnstat inter omnēs, fāma est.

Hūiusmodī est cōnstructiō: Subiectum in Accūsātīvum cāsum, verbum in Īnfīnītīvum modum eōdem tempore quod Rēcta praedicātiō exhibet, mūtātur, e. g.

Negat puer sē lūdere *velle.* = (Nōlō lūdere.)
Manifēstum est tē nōn *intellēxisse.* (= Non intellēxistī.)
Prō certō habēbant hostēs castra *positūrōs esse.*
(= Hostēs castra pōnent.)
Cōnstat inter omnēs mīlitēs sacrāmentō *tenērī.*
(= Mīlitēs sacrāmentō tenentur.)
Rūmor percrēbruit Rōmānōs *victōs esse.*
(= Rōmānī victī sunt.)
Rēbantur urbem *captum īrī.* (= Urbs capiētur.)

Cum verbīs prōmittō, spērō, minor Futūrum tempus Īnfīnītīvī modī secundum sēnsum ūsūrpātur, e. g.

Prōmīsit sē obsidēs *datūrum esse.*

§ 23. *Subiūncta Clausula.*

Omnēs clausulae quae in Rēctā Ōrātiōne prīncipālī sententiae subiūnctae sunt, in Subiūnctīvum modum in Oblīquā vertuntur, e. g.

Eī quī equīs appropinquant Rōmānī sunt.
Nūntiāvit eōs quī equīs *appropinquārent* Rōmānōs esse.

Eī quī prīmus āscenderit praemium dabō.
Prōmīsit sē eī quī prīmus *āscendisset* praemium datūrum.

§ 24. *Interrogātiō Oblīqua.*

Haec clausula post verba interrogō, nesciō, mīror, incertum est, cōgitō, eīsque similia ūsūrpātur.

Clausula eandem formam habet quam Rēcta Interrogātiō, nisi quod verbum in proprium tempus Subiūnctīvī Modī mūtātūr: e. g.

I. R. Quid dīcis? I. O. Nōn intellegō quid *dīcās.*
I. R. Quandō pervēnistī? I. O. Rogāvit quandō *pervēnisset.*

I. R. Utrum Rōmānus an hostis est ?	I. O. Incertum erat utrum Rōmānus an hostis *esset.*
I. R. Quamdiū resistent hostes ?	I. O. Mīrātus est Caesar quamdiū hostēs *restitūrī essent.*
I. R. Quid mihi respondendum est ?	I. O. Cōgitābat quid sibi *respondendum esset.*

Animadvertenda sunt haec :

i. Prō particulā -ne, num in Oblīquā Interrogātiōne plērumque adhibētur, e.g. :

I. R. Hostēs-ne castra posuērunt ?
I. O. Rogāvit Caesar *num* hostēs castra posuissent.

ii. Vītandum est annōn in oblīquā clausulā, e.g. :

I. R. Utrum intellegis annōn ?
I. O. Rogāvit utrum intellegeret *necne.*

iii. Haud sciō an eundem ferē sēnsum habet atque ferē putō, e.g. :

Haud sciō an Sōcratēs omnium sapientissimus hominum fuerit.

§ 25. *Petītiō Oblīqua.*

Post verba imperō, rogō, pōscō, postulō, ōrō atque obsecrō, persuadeō et hīs similia, id quod imperātum est hōc modō exprimitur :

P. R. Dīc mihi.	P. O. Magister imperāvit *ut* sibi *dīceret.*
P. R. Nōlī cōnsīdere (vel nē cōnsēderis).	P. O. Magister eum rogāvit *nē cōnsīderet.*
P. R. Nē locūtus sīs nēve rīseris.	P. O. Imperāvit nē *loquerētur* nēve *rīdēret.*

Iubeō et vetō Īnfīnītīvum modum exigunt, e.g.

Iubeō tē *silēre.*
Vetō vōs *exīre.*

§ 26. (*a*) Post verba metuendī eīsque similia haec cōnstructiō ūsūrpanda est :

Metuit Caesar *nē* hostēs noctū castra *movērent.*
Perīculum est *nē* tōta domus *corruat.*
Veritī sunt mīlitēs *nē* hostēs *nōn resisterent.*

(Interdum etiam Īnfīnītīvus haec verba sequitur eōdem sēnsū quō nostrā linguā, e.g. :

Timet *morī.*
Metuit īnfāns in obscūrō *ambulāre.*)

(*b*) Cum verbīs accidit et ēvenit abhibētur Nōminālis Clausula, e.g. :

Accidit eā nocte ut plēna ferē lūna esset.
Inde ēvēnit ut Rōmāna cīvitās prīncipātus facta sit.

ADVERBIĀLĒS CLAUSULAE

§ 27. Adverbiālēs Clausulae plūrium sunt generum :

(*a*) *Temporālēs,* quārum coniūnctiōnēs cum, dum, antequam, postquam, simul ac sunt.

(*b*) *Modālēs,* quārum coniūnctiōnēs ut, sīcut, perinde ac sunt.

(*c*) *Causālēs,* quārum coniūnctiōnēs quia, quod, cum sunt.

(*d*) *Comparātivae,* quārum coniūnctiōnēs quam, quantum sunt.

(*e*) *Cōnsecūtīvae,* quārum coniūnctiō ut est.

(*f*) *Fīnālēs,* quārum coniūnctiōnēs ut et nē sunt.

(*g*) *Conditiōnālēs,* quarum coniūnctiōnēs sī et nisi sunt.

(*h*) *Concessīvae,* quarum coniūnctiōnēs etsī, quamquam, quamvīs sunt.

§ 28. Hīs ex clausulīs sunt quae Subiūnctīvum modum exigant, e.g. :

(*a*) *Temporālēs* Praeteritō tempore quae per coniūnctiōnem cum subiūnctae sunt, e.g. :

Rōmam *cum rediisset,* cōnsulātum petiit.

(*b*) *Causālēs* quae per coniūnctiōnem cum subiūnctae sunt, e.g.:

Cum nescīret ubi hostēs essent, explōrātōrēs praemīsit.
Quae cum ita sint, senātum de perīculō consulimus.

(*c*) *Cōnsecūtīvae*, e.g.:

Tam fortiter pūgnāvērunt *ut* hostēs *vincerent*.
Tot librōs habet *ut nēmō* portāre eōs *possit*:

Eōdem sēnsū adiectīvae clausulae per prōnōmen quī subiunguntur, e.g.:

Nōn is sum *quī* tantam iniūriam *feram*.
Dīgnus erat *quī* imperātor *salūtārētur*.

(*d*) *Fīnālēs*, e.g.:

Rōmam rediit *ut* cōnsulātum *peteret*.
Exercitum redūcit *nē* hostēs eum noctū *oppūgnent*.
Portās clausit *nē quis* in urbem *intrāret*.
Māgnīs itineribus contendit *quō celerius* Rōmam *perveniret*.

Eōdem sēnsū adiectīvae clausulae per Relātīvum Prōnōmen subiunguntur, e.g.:

Equitēs praemīsit *quī* locum *explōrārent*.
Nōn habeō *cuī* līterās *committam*.

(*e*) *Condiciōnālēs*, e.g.:

(i) Sī (tunc) impetum *fēcisset*, māgna victōria *reportāta esset*.
(ii) Sī cōnsul (nunc) *adesset*, nōnnūlla spēs salūtis *esset*.
(iii) Sī caelum *ruat*, nūllus iam mundus *sit*.

§ 29. Ea cōnstructiō quae Ablātīvus Absolūtus vocātur Adverbiālis clausulae mūnere fungitur, e.g.:

Hostibus victīs, exercitus in castra rediit.
(= Cum hostēs victī essent.)
Peditibus castra oppūgnantibus, māgna tempestās coorta est. (= Dum peditēs castra oppūgnant.)
Cōnsule Cicerōne, Catilīna audāx cōnsilium in rempūblicam iniit. (= Dum Cicerō cōnsul est.)

§ 30. Exigunt etiam Subiūnctīvum Modum clausulae quae per coniūnctiōnem quīn hīs locūtiōnibus subiunguntur:

nōn dubium est (quīn),
facere nōn possum (quīn),
fierī nōn potest (quīn),
minimum abest (quīn),
nēmō est (quīn), e.g.:

Dubitārī nōn potest *quīn* māgnam clādem *accēperimus.*
Fierī nōn potest *quīn* cōnsul hoc *sciat.*
Minimum aberat *quīn* Rōma *caperētur.*
Nēmō erat *quīn* patriam vī et armīs *dēfenderet.*

INDEX VOCĀBULŌRUM

A.

abdicō, 1. (magistrātum) omittō vel dēpōnō.
abdō, 3, -didī, -ditum. cēlō, in sēcrētō pōnō.
abiciō, -ere, abiēcī, abiectum. ā mē iaciō; vī ā mē mittō.
absūmō, 3, -sūmpsī, -sūmptum. dēleō, morte afficiō.
accendō, 3, -cendī, -cēnsum. īgnem iniciō; incendō.
accidō, 3, -cidī. accidit id quod forte fit.
accumbō, 3, -cubuī, -cubitum. ad mēnsam accumbō cēnandī causā.
accūsō, 1. aliquem reum apud iūdicēs faciō.
ācer, ācris, ācre. māgnō spīritū; fortī ad arma animō.
aciēs, -ēī, *f.* mīlites ad pūgnandum īnstructī.
adeō, *adv.* tam, ita.
adeō, 4, -īvī (-iī), -itum. adveniō; appropinquō.
adhūc, *adv.* usque ad hunc locum; usque ad hoc tempus.
adipīscor, 3, -eptus sum. acquīrō.
aditus, -ūs, *m.* āctus adeundī vel via quā adīs.
admīrātiō, -nis, *f.* āctus admīrandī.
admīror, 1. māgnī aestimō.
admittō, 3, -mīsī, -missum. intrāre sinō.
adolēscō, 3, adolēvī, adultum. iuvenis fīō, vir esse incipiō.
adorior, 4, -ortus sum. oppūgnō.
adveniō, 4, -vēnī, -ventum. appropinquō; ad fīnem itineris veniō.
aedēs, -is, *f.* templum; (*plūr.*) domus vel domicilium.
aedificium, -iī, *n.* id quod aedificātum est, e.g. domicilium, templum.
aes, aeris, *n.* metallum ex quō nummus fit; pecūnia.
aestimō, 1. aliquid tantī numerō vel habeō.
aetās, -ātis, *f.* aetās indicat quot annōs nātus sīs.
afficiō, 3, -fēcī, -fectum. vulnere afficiō = vulnerō. poenā afficiō = poenās sūmō vel pūniō. timōre afficiō = terreō.
affīrmō, 1. id, quod prō certō habeō, dīcō.
āgmen, -inis, *n.* exercitus iter faciēns vel ad iter īnstructus.
āgna, -ae, *f.* parva ovis.
āgnōscō, 3, -nōvī, -nitum. bene cōgnōscō, aliquem cōgnitum iterum videō.
agō, 3, ēgī, āctum. faciō.
āiō, —. dīcō, affīrmō.
āla, -ae, *f.* id quō avis volat.
alibi, *adv. locī.* aliō in locō.
aliēnus, -a, -um. ad alium pertinēns; barbarus.
aliquot, *adiect. indēcl. num.* nōnnūllī.
aliter, *adv. modī.* aliō modō; aliīs verbīs, aliā condiciōne.
alloquor, 3, -locūtus sum = adloquor (*verb. trāns.*).
ambulō, 1. pedibus eō.
amīcitia, -ae, *f.* id quod inter amīcōs est.
amnis, -is, *m.* māgnum flūmen.
amplector, 3, amplexus sum. bracchiīs cingō, circumdō.
animadvertō, 3, -tī, -sum. in

aliquem animadvertō = poenas sūmō dē aliquō.
ānser, -eris, *m.* avis domestica.
anteā, *adv.* tempore priōre.
anus, -ūs, *f.* ea quae multōs annōs nāta est.
aper, aprī, *m.* porcus ferus.
aperiō, 4, -uī, -tum. *contr.* claudō.
apertē, *adv. contr.* sēcrētō.
appāreō, 2, -uī, —. manifēstus sum.
appellō, 1. vocō.
approbō, 1. dīcō mihi placēre.
appropinquō, 1. mē admoveō; adveniō.
aptus, -a, -um. idōneus; opportūnus.
aquila, -ae, *f.* avis māgna et fusca.
āra, -ae, *f.* sāxum ēditum ubi victimae caedēbantur.
arātrum, -ī, *n.* īnstrūmentum quō arātor arat.
arcessō, 3, -īvī, -ītum. venīre iubeō, mittō quī dūcat.
armilla, -ae, *f.* ornāmentum quod in bracchiō geritur.
ars, -tis, *f.* scientia; modus faciendī.
arx, -cis, *f.* pars urbis alta et mūnīta.
āscendō, 3, -scendī, -scēnsum. ab īnferiōre ad superiōrem locum eō.
āspernor, 1. contemnō, spernō.
atrōx, -cis, *adiect.* crūdēlis, ferōx.
attonitus, -a, -um. obstupefactus (e.g. cum mīrāculum vidēs).
auctor, -ōris, *m.* is quī prīmus aliquid facit vel suādet.
audācia, -ae, *f.* virtūs audācis hominis.
audāx, -cis, *adiect* quī ex mōre audet: fortis.
auferō, -ferre, abstulī, ablātum. ex locō rapiō.
aureus, -a, -um. ex aurō factus.
aurum, -ī, *n.* metallum flāvum nitidumque.
auxilium, -iī, *n.* id quod adiuvat; subsidium.
āversus, -a, -um. ad tergum nōn ad frontem versus.
avus, -ī, *m.* pater patris vel mātris. *contr.* nepōs.

B.

baculum, -ī, *n.* parvus rāmus; īnstrūmentum quō ferīs.
barba, -ae, *f.* crīnēs quī in genīs nāscuntur.
barbarus, -a, -um. nōn Rōmānus; incultus ac saevus.
beneficium, -iī, *n.* aliquid bene tibi factum.
benīgnus, -a, -um. quī bene aliōs trāctat; *contr.* crūdēlis.
bibō, 3, bibī, bibitum. aquam vel vīnum bibis.
blandus, -a, -um. mītis; lēnis; quī amīcīs verbīs suādet.
bracchium, -iī, *n.* membrum corporis quod manum umerō coniungit.

C.

cadō, 3, cecidī, cāsum. humum celeriter eō, dēlābor.
caedēs, -is, *f.* āctus caedendī.
caedō, 3, cecīdī, caesum. occīdō, interficiō.
callidus, -a, -um. prūdēns, sollers.
campus, -ī, *m.* locus aequus.
capillus, -ī, *m.* crīnis quī in capite nāscitur.
capiō, -ere, cēpī, captum. manibus prehendō.
caput, -itis, *n.* summa corporis pars.
N.B. capitis tē condemnō = mortī tē trādō.
careō, 2, -uī, —, *abl. reg.* nōn habeō, e.g. hoc verbum supīnō caret.
cārus, -a, -um. quem amās.
castellum, -ī, *n.* aedificium fortiter mūnītum.
causa, -ae, *f.* id propter quod aliquid fit. *contr.* ēventus.

caveō, 2, cāvī, cautum. prōvideō, cūrō.
celeber, -bris, -bre. clārus, omnibus ob virtūtem nōtus.
cēlō, 1. in sēcrētō pōnō ; abdō.
cēna, -ae, *f.* vocātur id quod vesperī edis.
cēnō, 1. cēnam edō.
centuriō, -nis, *m.* is quī centum mīlitibus praeest.
cernō, 3, crēvī, crētum. percipiō.
certāmen, -inis, *n.* pūgna.
certus, -a, -um. *contr.* dubius.
cervus, -ī, *m.* animal quod cornua rāmōsa habet et celerrimē currit.
cēssō, 1. prōgredī recūsō.
cibus, -ī, *m.* id quod edis.
cingō, 3, cīnxī, cīnctum. circumdō, amplector.
circueō, -īre, -iī, -itum. circum aliquid eō ; cingō.
circumdō, -dare, -dedī, -datum. *acc. et dat. reg.* aliquid circum aliquid pōnō. circumveniō, cingō.
circumvehō, 3, -vēxī, -vēctum. circumferō.
circumveniō, 4, -vēnī, -ventum. cingō, circumdō.
clādēs, -is, *f.* māgnum incommodum (e. g. sī quis proeliō vincitur).
clam, *adv.* secrētō, nēmine vidente.
clāmō, 1. māgnam vōcem ēmittō.
clāmor, -ōris, *m.* āctus clāmandī, id quod clāmās.
claudō, 3, -sī, -sum. operiō ; *contr.* aperiō.
clāvis, -is, *f.* īnstrūmentum quō portae claustra resolvis.
clipeus, -ī, *m.* scūtum parvum et rotundum.
cloāca, -ae, *f.* canālis subter viās cōnstructus ad aquam dūcendam.
coepī, -isse, coeptum. incipiō, initium faciō.
cōgitō, 1. mente rem volvō.
cōgnōmen, -inis, *n.* nōmen additum.
cōgnōscō, 3, -nōvī, -nitum. certior fīō.
cōgō, 3, coēgī, coāctum. (i) in ūnum locum agō ; compellō ; vī colligō. (ii) vī persuādeō.
cohors, -tis, *f.* pars legiōnis.
collis, -is, *m.* locus ēditus.
collocō, 1. in ūnō locō pōnō.
colloquor, 3, -locūtus sum. sermōnem cōnferō.
collum, -ī, *n.* pars corporis quae caput et umerōs coniungit.
colō, 3, -uī, cultum. (i) (agrōs) cūrō ; arō. (ii) (deōs) veneror.
columba, -ae, *f.* avis timida.
combūrō, 3, -ūssī, -ūstum. īgne dēleō.
comes, -itis, *m.* is quī tē comitātur ; socius.
comitor, 1. cum aliquō eō : comes sum.
committō, 3, -mīsī, -missum. compōnō (proelium), pūgnāre incipiō.
comparō, 1. cōnferō.
compleō, 2, -plēvī, -plētum. plēnum facio.
compōnō, 3, -posuī, positum. (i) in ūnō locō pōnō ; colligō. (ii) (pācem) faciō.
concilium, iī, *n.* hominēs dēlīberandī causā congregātī.
concurrō, 3, -currī, -cursum. in ūnum locum cum aliīs currō.
conditor, -ōris, *m.* is quī condit.
condō, 3, -didi, -ditum. auctor sum.
cōnfertus, -a, -um. dēnsus.
cōnficiō, -fēcī, -fectum. ad fīnem dūcō.
cōnfīdō, 3, -fīsus sum. *dat. reg.* crēdō.
cōnfiteor, 2, -fessus sum. dēclārō (*praecipuē* id cūius mē pudet).
cōniciō, -ere, coniēcī, coniectum. vī iaciō.
coniūnx, -iugis, *c.* marītus vel uxor.

coniūrō, 1. mē aliīs coniungō alicūius occīdendī causā.
cōnor, 1. omnia faciō ut difficile aliquid efficiam.
cōnscīscō, 3, -scīvī. (mortem) mihi ipse parō.
cōnsecrō, 1. dēdicō; sacrum faciō.
cōnsēnsus, -ūs, *m.* āctus cōnsentiendī.
cōnsentiō, 4. -sēnsī, -sēnsum. idem sentiō.
cōnservō, 1. māgnā cūrā servō.
cōnsilium, -ī, *n.* id quod tibi in animō est facere.
cōnsōlor, 1. miserum aliquem verbīs cōnfīrmō.
cōnspiciō, -ere, -spexī, -spectum. subitō videō.
cōnspīrō, 1. coniūrō; cum aliīs cōnsilium ineō.
cōnstituō, 3, -uī, -ūtum. cōnsilium ineō.
cōnsuētūdō, -inis, *f.* mōs; id quod facere soleō.
cōnsulō, 3, -suluī, -sultum. cōnsilium petō; rogō aliquem, ut mē moneat.
cōnsultum, -i, *n.* aliquid in conciliō dēcrētum.
contemnō, 3, -tempsī, -temptum. dēspiciō.
contendō, 3, -tendi, -tentum. celeriter eō; certāmen ineō, pūgnō.
contumēlia, -ae, *f.* iniūria, cum per vīm vel verbīs tibi noceō.
cōnūbium, -ī, *n.* mātrimōnium.
conveniō, 4, -vēnī, -ventum. cum aliīs veniō. *impers.* pāctum fit.
convertō, 3, -vertī, -versum. aliam in partem dīrigō vel moveō.
convocō, 1. in ūnum locum vocō.
coquō, 3, coxī, coctum. īgne cibum parō.
cor, cordis, *n.* membrum corporis unde sanguis fluit.
cornū, -ūs, *n.* (i) id quod in capite bovis nāscitur; (ii) latus aciēī; āla.
cortex, -icis, *m.* exterior arboris pars.
cottīdiē, *adv.* omnibus diēbus.
crēdō, 3, -didī, -ditum. prō certō habeō, existimō, opīnor; (*cum dat.*) cōnfīdō.
crepitus, -ūs, *m.* acūtus sonitus.
crēscō, 3, crēvī, crētum. māior fīō.
crīnis, -is, *m.* capillus.
cruentus, -a, -um.. sanguine ruber.
culpa, -ae, *f.* vitium, id quod poenās merētur.
culter, -rī, *m.* īnstrūmentum quō secās.
cumulō, 1. in cumulum vel acervum colligō.
cunctī, -ae, -a. omnēs.
cupidus, -a, -um. quī aliquid cupit.
cupiō, -ere, -īvī, -ītum. valdē volō.
cūstōdiō, -īre, -īvī, -ītum. custōs sum.
cūstōs, -dis, *m.* is quī cūstōdit vel dēfendit.

D.

damnō, 1. condemnō; *contr.* absolvō.
(daps), -is, *f.* cēna vel epulae.
dēcipiō, -ere, -cēpī, -ceptum. fallō.
dēcurrō, 3, -currī, -cursum. ā superiōre locō in īnferiōrem currō.
dēcutiō, -ere, -cussī, -cussum. dēcīdō.
dēditiō, -nis, *f.* āctus dēdendī.
dēdō, 3, -didī, -ditum. hostibus dō, trādō.
dēfendō, 3, -fendī, -fēnsum. contrā hostēs prōtegō.
dēferō, -ferre, -tulī, -lātum. in īnferiōrem locum ferō.
dēlābor, 3, -lāpsus sum. lēniter dēscendō.

dēlcō, 2, -ēvī, -ētum. omnīnō dēstruō.
dēlīberō, 1. cōnsulō; dē re cōnsīderō.
dēligō, 3, -lēgī, -lēctum. (ūnum ex multīs) capiō.
dēmigrō, 1. locō cēdō.
dēmum, *adv.* tandem.
dēnique, *adv.* (in argūmentō) postrēmō.
dēns, -tis, *m.* id quō mordēs.
dēnsus, -a, -um. cōnfertus.
dērīdeō, 2, -rīsī, -rīsum. rīsū contemnō.
dēscendō, 3, -scendī, -scēnsum. ā superiōre locō in īnferiōrem eō.
dēscrībō, 3, -scrīpsī, -scrīptum. verbīs vel aliter expōnō.
dēsiliō, 4, -uī, —. ad terram celeriter mē moveō.
dēsinō, 3, -sīvī, -situm. fīnem faciō.
dēspērō, 1. spem abiciō.
dēsum, -esse, -fuī. dēficiō, nōn adsum. dēest rēs, quā carēmus.
dēsuper, *adv.* dē locō superiōre.
